


IACOBI DVRANTII CASELLII I. C.TI ARVERNI VARIARVM LIBRI DVO.

IN QVIBVS PRAETER VEterum ritus, varij Auctores, vel emendantur, vel illustrantur.







LVTETIÆ.

Apud Thomam Perier, in vico Bellouaco.

CIƆ. IƆ LXXXII.


CVM PRIVILEGIO.







NOBILISS. ET ILLVST. V. IAC. GVESLEO SVMmo apud Gallos Procuratori Fisci Iac. Durantius Casellius. S.





T in forum veni, ut me varia patrocinia & susceptiones litium exercitum habuerunt, (V. ILL.) *Nescio quo Genio, qua voluntatis & ingenij mutatione, ea quorum antea studiosissimus & auidissimus eram, in quibus veram & solidam laudem sitam arbitrabar, mihi senio ac fastidio esse cœperunt. Idem mihi sane usuenit, quod illis qui ad secunda vota transiere, quibus suscepti ex priore matrimonio liberi, aliis*

ex ſecundo ſuſceptis tædio ſunt, qui antea in delitiis erant, quos ideò vel abdicare, vel in rus ablegare ſolent, tantùm apud eos poſterioris coniugij nouitas & illecebra poteſt. Ego quaſi quodam matrimonij nexu vinculóque conſtrictam, deuinctamque traduxi adoleſcentiam harum litterarum amore, quæ in rerum antiquarum & verborum inueſtigatione verſantur: Aſt vbi hæc noua rerum ſpecies mihi oborta eſt, vbi Tyrocinium fori auſpicandum fuit: Ne idem mihi (quod declamatoribus Petronius ait) contingeret, Pueros in ſcholis ludere, iuuenes rideri in foro, ab his diuortium feci, & libertum miſi, qui illis vt thoro meo diuorterent res ſuas ſibi haberent, colligerent ſarcinulas, & abiirent iuberet. Vin ſcire cauſam diuortij, nec allegabo graues mores, nec alia quauis legitima præſcriptione vtar. Vſurpabo tantum hos Mænandri verſiculos.


ὀυ πάνυ τοι γηράσκουσιν ἀι τέχναι καλῶς ἐαν μὴ λάβωσι προςάτην φιλάργυρον.

Certus ſum animi multos ſecundúm mè litem daturos, ſi hac exceptione perſcribam. Unumquemque enim (inquit Plautus) ad ſuum queſtum callidum eſſe oportet. Sed te haud ita, quem ſcio non queſtu, ſed ipſa rerum dignitate ac pondere artes æſtimare. Vtroque vici ſi vtriuſque ratio habeatur. Ex ciuilibus enim diſciplinis id eſt, quibus imperiis modus, ordo rebus publicis, ius priuatis datur, maius compendium eſt & ad magiſtratus & publicos honores iter facilius & expeditius. De communibus vero liberis, id eſt, ijs lucubrationibus quas in eo quaſi matrimonio pepereram, ego longè atrocius quam alij, imò quàm ea vulgatiſſima tragicorum nomina Medea, Progne, Tãtalus, Lycus, ſed mihi ante oculos Gallus, vipera, culeus, nigri boues. Unde hæc ſæuitia (inquies) à foro ab ipſis quib⁹ im-

plicor negociis. Infestior enim non est priuignis suis nouerca, quàm eiusmodi studiis forensis cura. Quoniam igitur ea studia necessarió mihi intermittēda sunt, deserenda nefas dicere, quia etiam inter has turbas otij spes quædam nobis affulge: (ne parricida essem) placuit potiùs partum exponere, quam necare. Exponere (inquā) quia dubius non sum eū ab aliqua pretereūte misericordia leuatum iri, qua fouebitur, cuiusq; ope alium parentē longè illustriorē nanciscetur. Procul illa vetus in iure mancipatio, & illa superstitiosa adoptionum solennia, hunc ego quod tibi mihique benè vortat in manum mancipiumquè trado: Illum tu adopta. Spero te id facturum, vel ob amorem erga me tuum, cuius initium & origo est à litteris quæ nos coniunxere, cum Auarici Biturigum sub Iac. *Cuiacio.* V. CL. *légitima iuris ciuilis quinquennia percurreremus, parj (ni fallor) æuo, sed longe dispari*

iudicij & ingenij fœlicitate, quem enim non præcurrebas ingenio, quem non anteibas hac indole & oris dignitate, ex qua ego iam virtutis tuæ & futuræ auctoritatis indicia colligebam? vel ob fortunæ nostræ similitudinem, similitudinem scilicet longè dißimilem. Aliud est enim in amplißimo totius orbis Senatu ius intercessionis habere, rerum habenas tenere, seria quæque negotia tractare: Aliud in remoto cuiusdam prouinciolæ angulo degere & quod in ore veterum frequens erat, saxa & calles. Eum tibi in ea ætate fortuna locum dedit, quẽ ante hæc tempora nulli, quo ante te nemo dignus, superasti annos virtute, ille igitur honos non ætati, non fortunæ tuæ sed virtuti approbante inuidia concessus est: Ille tibi primus est ad honores gradus, quem nos anteà fastigium & apicem litterariæ dignitatis esse credidimus. Optamus igitur tantum vt nobis fœliciter liceat spectare

virtutis & fœlicitatis tuæ incrementa. Ergo planè inhumanus non sum, qui in sacra tam illustris familiæ, siue libros siue liberos meos voco. Geminos tantum vno partu edo, veritus sum si plures ederem, ne idem mihi contingeret quod mulieribus quæ plures edunt, ne statim vt ipsos Lucina eduxisset, Libitina exciperet. Illos tu æqui bonique facito & nos ama. Vale vir illust. Riomagi. Prid. Cal. April.



IACOBO DVRANTIO
CASELLIO.



Imana tellus, seu potius Aruernia
(Nam te vocant Aruerniam
Quicũque fausto tua ligone arua
excolunt
Ausonÿs notißima)
Quid in iugosis distinetur collibus
Abs me meus Casellius?
Negotiosis artibus fallens feras
Suumque fallens otium?
Tantíne colles atque ruris commoda,
Tanti arduæ arborum comæ?
Amnesque puro te ambientes alueo.
Et vda fontium vbera?
At te Caselli bellam amare rumor est
Iunone fausta virginem,
Bene est, amori vni esse parendum arbitror,
Parere qui cogit Iouem.
Verum Caselli aut immemor viuas tui
Tui aut sodalis gratia,
Relinque montes atque amœnas arborum
Vmbras & amnes vitreos,
Ipsumque amorem ipsasque spernens gratias
Tuis fruamur gratiis

Vel si Cupido arcto te illigat vinculo
Quo te expedire vix queas,
Variis libellos mitte textos floribus
Et mille plenos gratiis:
Vix tum inuidebo ruris otium tibi
Aut blanda saltuum loca,
Vt qui mi abundè ruris exprimant opes
Tuique Amoris gratias.

Cl. Binetus.

AD VARIAS. IAC. Durantij Casellij.

RVmpatur medius velut subactus
Anguis carmine, qui tuos amores,
Qui tuas Veneres Cupidinesque
Rodit inuidus, vrget aut supinus.
Succrescet tibi mox patri futuro
Et noua & lepida & venusta proles,
Quæ tuos oculos tuumque vultum
Osque illud referat pudico in ore,
In vultu, inque oculis, vt hic perenni
Perstet fortiùs ære imago viuax.
At simul meliora pruris audax,
Et cœlum cupis, & Iouis sacratum
Limen tangere, non humi iacentem

Non torpentem animum geris Duranti,
Dum musas Veneri & chorum choreis
Aptas, dum Paphios repentè olores
E iugo, ad iuga verticemque sacrum
Subducis. Tibi sic fauens Apollo,
Sic Amica Venus, bonis ad astra
Sic perge alitibus, tuus sodalis
Sic vota ad superos precesque fundit:
Rumpatur medius, velut subactus
Anguis carmine, qui tuos labores
Noctes peruigiles, grauesque curas
Rodit inuidus, vrget aut supinus.

Pet. Pellissonius Aruernus.

AD LIBROS VARIARVM DVRANTII CASELLLII. Sermo.

D*Ic mihi cuius opus liber est? sic te optima Pallas,*
Sic Musæ, & Charites, & bene Appollo iuuent.
DVRANTII: *verumne refers? verum: accipio omen,*
Ergo durabis sæcula multa liber.

Non tu Sisyphium montem, non saxa videbis,
Non tu Tantaleos aspicies latices,
Non Tytij pœnas, cupidine Ixionis orbem,
Non sceleratarum dolia Danaidum:
Sed viues, & te penna haud metuente resolui
Ad cœlum, & superos, fama superstes aget.

Ad. Turnebus Ad. F.

IN IACOBI DVRANTII CASELLII VARIARVM Libros.

QVæ iacuit longis priscorum lectio seclis.
Annosoque diu puluere mersa fuit.
Aeternúm renouata manet, felixque Duranti
Quæsito ex tenebris lumine surgit opus.

Guil. Gosselinus Issæus.

IAC. DVRANTIO CASÈLLIO.

DVm te beatæ detinent Aruerniæ
Grati recessus, liberoque in otio

Captas Caselli blanda ruris commoda,
Nymphisque mixtus & iocosis Panibus
Echo sonora prouocas arundine,
Proculque vulgo assertor & vindex tui
Musarum amico conquiescis in sinu,
Nos & sutelis & tumultibus fori
Ingrata vexat iamdiu Lutetia,
Et mentis altos spiritus per turbidas
Traducit artes,& profana iurgia:
Nos & forensi semper actos turbine
Voluit,reuoluit. Tum Caselli prædico
Ter te beatum,cui benignus Iuppiter
Fauensque Apollo vocis incentor tuæ
Frui quiete dant remota in villula,
Et litteratis otiari in litteris.
Si te otiari sit tamen fas dicere,
Qui clarus operum,qui laboris arduus
Abstrusa rerum litteris perennibus
Mandas & alta vindicas caligine,
Quæ laudet ille cura diuûm Scaliger
Meus tuusque Scaliger,qui carmine
Faunos stupentes & stupentes Naiadas
Trahis Poetas vnus inter principes.
Quod heu malignum sidus illuxit mihi
Vt ipse rostris vt forensi pulueri
Addicar vsque,nec tuos insistere
Mi liceat ausus,quem per ardor gloriæ

Incessit alto calcar addens pectori.
Quod quando nobis non dedere Numina
At ipse certe de propinquo littore,
Tibi corollas & tibi myrthos legam,
Tibique lauros, & tibi pancarpias.

I. Bonefonius.

IN IACOBI DVRANTII CASELLII VARIAS

Iacobus Durantius Casellius. Inclutus libro assiduè vacas.

VAriarum adest libellus ille bellulus,
Qui neminem praeconis vt vicem siet
Exobsecrat, praeconium aut frustrà siet.
Ipsum hoc opus nil laude non redarguit
Dignum: libello cerne sis natum decus.
Variarum adest libellus ille bellulus,
Quem mille pinxit flosculis Durantius
Apis Latina, illâc dum & hàc varias legit.
Hem! quid? legit flores? labos vanesceret.
Lucerna quo abis noctem coruscans perpetem?
Cassandra Teucris crederetur ocyus,
Quid viola amaenum mage? cadauer rectiús
Vetustiorum in litteris antistitum

Carie putescens, iam situ pene obsitum
Syria irrigans nardo futatim, & balsamo
A carie & à situ æuiterno vindicat:
Totiens coronis ille cingendus caput,
Quotiens bonarum ille est misertus artium.
Apage, nec ego id efferre: quid non mirius?
Bene factitatum est, debuit fieri bene:
Namque inclutus, *anime mi* libro assiduè vacas,
Nullum iocosæ momen indens horulæ.
Laudent Camenæ te, comes queis assides
Æternus, alio Mæsius meme auocat.
Secede ab istoc paululum consortio
Parnaßidum, te gramen inuitat virens.
Musas sequuntur ocyús Zephiris duces
Morbi, mala ætas, tristitas curæ graues
Hinc tu gradum reuocare Duranti, abnuis?
Nempe senescere vis, modo stent litteræ.

Laur. Bochellus Valesius



IACOBI DVRANTII CASELLII VARIARVM,

LIBER PRIMVS.

Vnde mos tuitionum fluxerit, eius formula ex Appiano, Gunthero & Caßiodoro: addita quædam Saluiani verba, ad hanc rem pertinentia. Qui essent sacri, qui hostes publici.

CAPVT PRIMVM.

QVod mihi faustum fœlix fortunatúmque fiet, initium faciam à tuitionibus. Quid enim non liceret potẽtioribus, in quos non grassaretur audacia, & inexplebilis diuitum cupiditas, nisi eorũ crudelissimæ libidini, legitimis remediis obuiam iretur? Æquum sanè fuit tenues inopésque homunciones in sinum tutelámque virorum principum

confugere vt illustrium nominum terrore, & summarum necessitudinũ velamento, infirmitatem ab iniuria vindicarent. Itaque lege prouisum est, vt quibus esset quorundam suspecta potentia vel metus iustas ob causas creatus, probatis Principi, vel iudici formidinis rationibus, in cura iudicum & tutela principum cõstituerentur. Merito igitur antiquitus licuit, seruis dominorũ iniurias vitãtibus, & ingenuis inopibus ad aras, Ecclesias, statuásq; principũ cõfugere, vt religionis metus ac principalis nominis reuerentia securi fierent, & apud quẽ plus libido, quàm numinis honos & principis ratio potuisset, is sacrilegus & maiestatis reus habebatur. Sané nullæ vel saltem paucissimæ leges sunt in iure nostro, in quibus fiat mentio huius moris, quo nõnulli implorare principis auxilium solent, & eius rei significãdæ causa eius titulos id est ingenua signa in rebus & possessionibus suis præfigere. In Iustiniani nouella de mandatis principum, § sed neque hęc, iubetur nec inconsulto, nec temerè, nec passim ἀσφάλειαν idest, vt vetus Græcolatinum glossarium interpretatur, cautionem, munitionem,

tuitionem, præsidium, tutelam: Et κ(α)λ(ου)μενους λογους .i. saluum (vt nos vocitamus) conductum, siue vt Nouellarum interpres vetus, nuncupata verba, siue vt historiarum scriptores Latini, fidem publicã, siue vt Vergilius Æneidos 2, fiduciam in hoc versu. *Saluum conductũ.*

Quidue ferat memoret, quæ sit fiducia capto.

noxiis concedendum esse. Eodem quoque homicidis, adulteris, raptoribus Asylorum iura non esse custodienda, quo loco hæc eleganter. *Deinde templorum cautela non nocentibus, sed læsis datur á lege, & non erit possibile vtrumque tueri cautelam sacrorum locorum & lædentem & læsum* Abutuntur in hanc rem doctores ferè omnes, l. 1. §. quies D. de officio Præfecti vrbis, l. illicitas § potentiores, cod. de officio præsidis. In § quies, nec vola (vt aiunt) nec vestigium vllum est. Quies quidem populorum, & spectaculorum disciplina ad Præfecti vrbis curã pertinet, & ea de re Cassiodorus primo Variarum Epistola trigesima prima, trigesima secunda, quibus Theodoricus rex spectaculorum curam Agapito Præsidi vrbis committit: Nam quo (inquit) melius moderatio debet *Error doctorum.*

ſperari,quàm cui potuit Roma committi. L.vero illicitas d.§.propius videtur accedere ad quā(vt deSabinisveteri prouerbio dicitur)ſomniauere quod voluerunt. Doctiùs&rectiùs vnicū iuris ciuilis lumē & ornamentū v.cl. Iacobus Cuiacius, obſeruat.xii.cap.xxix.ex l.5.cod.de iniuriis & l.capitaliū §.ad ſtatuas ff.de pœnis adnotauit imaginē imperatoris præferri tuitionis gratia,in cuius locū apud nos inſignia Francici diadematis ſucceſſere. Tuitio ſicut indulgentia,famę reſtitutio ætatis venia ſolius eſt principis,quamuis etiam petere ac impetrare liceat à magiſtratibus vel iis quibus dare princeps iuſſerit. Symmachus Epiſtolarum ad Theodoſium lib.primo,inquit,v,c. cauſidicus, fori mei Celſus, ſocius eius qui debitum refudit impendium, tuitionem contra

A quibus impetratur tuitio.

„ me & annonæ præfectū v.c.de ſede vica-
„ ria poſtulauit. Paulò poſt, is cum à me in
„ ſequenti tuitionis auxilium popoſciſſet,
„ & vnius nomenclatoris vt in vrbe paca-
„ ta adminiculofretus incederet.Alii prin-
„ cipis iuſſu dant. Theodoricus apud Caſ-
„ ſiodorum ad Adilam comitem,& ideo
„ (inquit)beatiſſimi viri Euſtorgii,Epiſco-

pi ſanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ peti- "
tione permoti, preſentibus te affatibus "
admonemus, vt prædijs vel honoribus "
illius eccleſiæ intra Siciliam conſtitutis, "
tuitionē ſtudeas ſalua ciuilitate preſtare "
lib .4. Epiſtola xxvii. Tuitionem verò "
poſtulanti cōtra inciuiles impetus ex no- "
ſtra iuſſione ſalua ciuilitate præſtabis, nō "
exemplo accuſati, ſed conſideratione de "
center electi. Quibus in locis notandum " *Quid ſit*
eſt nomen clatoris præſentiam tuitionis *in reſcrip-*
& ſecuritatis cauſa cōcedi, & quod Caſ- *tis ſalua*
ſiodorus ait (ſalua ciuilitate) quæ verba *ciuilitate.*
princeps in tuitionū reſcriptis inſerebat,
ne velle videretur auctoritatē ſuam potio
rem quam legum vim & ſanctitatem eſſe.
Salua ciuilitate, id eſt modo nihil contra
iuris ciuilis regulas peteretur. Reſcripta
enim contra ius elicita nullius rei ſunt.
Extat apud Appianum bellorum ciuiliū
lib. 2. formula tuitionis, qua ſe Iulius Ce-
ſar veritus inimicorū inſidias & conſpi-
rationes, tutelæ & præſidio pop. Romani
commiſit, penes quem tunc ſuprema po-
teſtas & auctoritas erat. Hæc (ni me fallit
memoria) in hæc verba concipitur in An *Formula*
tonii oratione, quæ ego latina tibi nunc *tuitionis*

dabo quia Græci codicis copia non est. *Pollicemur nos Cæsarem eiusque corpus seruaturos, quantum in nobis situm erit: Quicunque vel eius vitæ insidiatus erit, vel contra ipsius caput coitionē fecerit, vel ei opem auxiliúmque non tulerit, sacer & deuotus esto.* Sic Guntherus poëta sui temporis elegātissimus, de gestis Friderici lib. vij. principibus Romanis sacramenta præstita fuisse refert, eius hæc verba sunt.

Tunc proceres clarique viri, turbæque minoris
Ambitiosa manus, studio deuota fideli
Sacramenta dabant cunctas seruāda per vrbes,
Principis Ausonij ius, famam, corpus, honorē
Nec se læsuros, & si quis lædere tentet,
Vsque vel ad mortem tota virtute reniti.

iisdem verbis corpora tribunorum pleb. consecrabantur, & idcirco sacrosancta dicebantur & hi publicam fidem, & religionem violasse credebantur, qui vim illis intulissent, & ob eam causam hi sacri & hostes publici & deuoti dicebantur, quos vnicuique occidere lege licebat, ea ratione, quia cùm his nulla religionis cōmunio, vel fidei ac humanitatis ratio habenda est, qui publica humanæ societatis vincula ac cōmunis iurisiurandi religionem

violassent. Sic qui principi, cuius corpus publico communíque sacramento vallatum est, vel insidias struxisset, vel contra ipsum arma sumpsisset, is reus perduellionis, & hostis publicus dicebatur, eiúsque nomen publicis monimentis eradebatur statuę disiiciebantur l. omnes l. Heraclianus C. T. de pœnis. Prædones etiam publici appellabantur l. qui opes suas. Cod. Theod. de bonis proscriptorũ: Publici latrones l. fin. C. quando liceat vnicuique sine iudice vindicare se vel publicã deuotionem: *Ergo desertores qui rei maiestatis & hostes publici sunt exercendæ (vt lex inquit) publicæ vltionis causa licebat interficere.* Tertullianus in Apolog. *in reos maiestatis & publicos hostes omnis homo miles est.* Eam ob rem quò religione eorum corpora tutiora fierent, se Tribunos pleb. & Pontifices maximos appellauere, vt obseruauit Tacitus Annalium iii. lib. & Ennodius Ticinẽsis in paneg. ad Theodericum regem. Equidẽ principis caput publicæ fidei committitur, communibúsque viribus & auxiliis conseruari ac defendi debet, quia qui pro communi salute, ac quiete incubat, vel vt inquit Cassiodorus in formu-

Prædones & latrones publici.

Cur se Romanorum principes Tribunos pleb. & Pontifices Max. appellauere.

la tuitionis, *cuius est propositi vniuersos communiter vindicare*, cum publicis excubiis, ac cõmunibus vigilis cõseruari ęquũ est. Debet quidem princeps communẽ suis tuitionem, specialem illis quibus etiã quorundam ex suis inuisa potentia est, & idcirco eodem loco elegãter à Cassiodoro, *superfluum quidem videtur tuitionem specialiter à principe petere, cuius est propositi vniuersos communiter vindicare*. Iis verbis tuitio dabatur. *Tuitionẽ nostri numinis quasi validißimam turrim, contra inciuiles impetus, & conuentionalia detrimenta nostra cõcedit auctoritas &c.* Olim hi qui aduersus securitatẽ pop. Romani vel principis, qui lege Regia in eius maiestatem & auctoritatem successerat, quid cõmisissent l. Iuliæ pœna de maiestate plectebantur. Nã

Pœna violatæ tuitionis.

„ maiestatis crimẽ illud est quod aduersus „ pop. Romanum, vel eius securitatem cõ„ mittitur, vt inquit Vlpianus, d.l. 1. ff ad l. Iuliam Maiest. Hodie pro locorum consuetudine pœna Gallis imposita est, vt in Gallia furca, apud Allobroges pœna pecuniaria quam in tuitionũ rescriptis Dux inferre solet, vt ab Italis doctoribus relatum est. Errat Felinus in cap. 1. de officio

Error Bartoli & Felini,

deleg. & Bartholus cęteríque iuris interpretes qui eos reos maiestatis esse volunt qui legatis iniuriam aut vim inferũt, cúm non maiestas lędatur, sed ius gentiũ violetur, & teneantur non l. Iulia maiest. sed de vi publica l. lege Iulia. ff. ad l. Iuliam. At hoc loco non prętermittam laudabile veterum institutum, qui eorum qui Reipub. vel principis causa absentes erant, domũ familiámque virorum illustrium fidei tutelęque soliti erant committere, vt Festo priori apud Cassiodorum lib. 10. Agnelli patritii domus, familiáque commendatur. *Peruiæ enim (inquit) sunt facultates absentium & quodammodo videtur occasio homines in delictum trahere, quæ non potest animum peruadentis de resultatione terrere:* Ego quoque sine huius capitis iniuria pretermittere non possum hæc verba, quibus eloquentissimus & sanctissimus Christianæ religionis auctor Saluianus, insectatur hunc prauum & pestilentissimum morem, quo se decrescente imperij Romani maiestate, & grassantibus vndique barbaris nationibus, inopes & tenues in clientellam & præsidium potentium dabant eorum patrocinia, & tutelam e-

Insignis mos veterum in tuẽda eorum familia qui Reipub. cã absentes essent.

mebant qui susceptores, & suscepti dicebantur, vnde feudorum hæc iura manauere, quibus nunc Europa feré omnis vtitur. Eius igitur hæc verba sunt libro v.

Saluiani verba.

Tradunt se ad tuendum protegendúmque maioribus, dedititios se diuitum faciunt, & quasi in ius eorum ditionémque transcendunt. Nec tamen graue hoc aut indignum arbitrarer, immo potius gratularer hanc potentum magnitudinem quibus se pauperes dedunt, si patrocinia ista non venderent: si quod se dicunt humiles defensare humanitati tribuerēt, non cupiditati. Illud graue ac peracerbum est, quod hac lege tueri pauperes videntur vt spolient: hac lege defendunt miseros, vt miseriores faciant defendendo. Omnes enim hi qui defendi videntur, deffensoribus suis omnem fere substantiam suam priusquam defendantur addicunt, ac si vt patres habeant defensionem, perdunt filij hæreditatem. Tuitio parentum mendicitate pignorum paratur. Ecce quæ sunt auxilia ac patrocinia maiorum. Nil *susceptis tribuunt, sed sibi. Hoc enim pacto aliquid temporariè attribuitur, vt in futuro totum filiis auferatur, vendunt itaque, & quidem grauissimo pretio vendunt, maioris quidem cunctaque præstant, & quod dixi vendunt, vtinam venderent vsitato more at-*

que communi, aliquid forsitan remaneret emptoribus. Nouum quippe hoc genus venditionis & emptionis est. Venditor nil tradit, & totum accipit. Emptor nihil accipit. & totum penitùs amittit. Cúmque omnis ferè contractus hoc in se habeat, vt inuidia penes emptorem, inopia penes vẽditorem esse videatur: quia emptor ad hoc emit, vt substantiam suam augeat, venditor ad hoc vendit vt minuat: inauditum hoc commercii genus est, venditoribus crescit facultas, emptoribus nihil remanet nisi sola mẽdicitas. Quis hunc morẽ feudorum caput & originem esse non videt?

Locus Annæi Senecæ illustratus, & l. nubit, C. ad l. Iuliam de adult. Tituli in cellis Scortorum, nomen in fronte, Mercatus meretricius. Mos mercantium in emendo Seruo.

CAPVT II

VIROS quos commendat vitæ probitas ac doctrinæ sanctitas, indiscreta & varia rerum omnium delectat notitia, vsus veró pro virtutis vitijque iudicio discernitur. Procùl ergo sint ipsi, quibus impudicitiam extorquet impudica pagina, Eorum tantùm causa scribimus, qui possunt impudica legere, nec facere. Publius Asprenas apud Senecam controuers. I. Sic loquitur *proclama ingenuam esse te. Quid expectas? Cùm in lupanar Veneris, iam tibi omnia templa præclusa sunt. Conseruarum oculis inquinatur, inter Ebriorum conuiuarum iocos iactatur modó in puerilem, modó in muliebrem habitum composita*. Equidem antiquitùs meretrices pro libidine scortatorum in puerilē vel virilem habitum cōponebantur paratæ ad excipiendam vtramque Venerem. Nec solùm feminæ, pueri quoque fœminas agebāt, edocti ad muliebris patientiæ legem. Clemens Alexandrinus Pædag. 3. Ἐπὶ τέγους (inquit) στᾶσι παρ' αὐτοῖς τὴν σάρκα, τὴν ἑαυτῶν εἰς ὕβριν ἡδονῆς πιπράσκουσαι γυναῖκες; πάντα μετακεκίνηκεν ἡ τρυφὴ, κατῄσχυνε τὸν ἄντρωπον, ἁβροδίαιτος περιεργία πάντα τιτεῖ. πάντα ἐπεχειρεῖ. βιάσεται πάντα συνέχει τὴν φύσιν τὰ γυναικῶν οἱ ἂν

δρες πεπόνταθασιν, καὶ γυναῖκες ἀνδρίζονται παρὰ φύσιν. γαμοῦμεναι τὲ καὶ γαμοῦσαι γυναῖκες, πόρος δὲ οὐδεὶς ἄβατος ἀκολασία κοινὴ δὲ αὐτοῖς ἀφροδίτη δημεύεται, συνέστιος τρυφὴ id eſt in eis ſtant in fornice mulieres, carnem ſuam ad probrum voluptatis venundantes , & pueri docti abnegare naturam, mulieres ſimulant. Omnia immutauit luxus , hominem probro ac dedecore affecit, mollis & luxurioſa curioſitas, ſuperflua quærit omnia, aggreditur omnia, naturam coercet. Homines patiuntur muliebria & fœminæ preter naturam viros agunt & nubunt vxoreſque ducũt fœminæ. Nullus eſt meatus ad quem non pateat aditus impudicitiæ. Iam verò eis cõmunis Venus publicatur cõuiuiorum delitiarum. Quæ genera deteſtandę libidinis perſequitur Clemens, Imperator Heliogabalus expreſſit quem Ælius Lãpridius ſcripſit, ſibi detruncaſſe virum, nupſiſſe ac per omnia caua corporis libidinem exceptaſſe. Saluianus nunquam ſatis laudatus auctor lib. de Guber. Dei 7. *Quid rogo fieri illic prodigioſius potuit? in vrbe Chriſtiana, in vrbe Eccleſiaſtica, quam quondam doctrinis ſuis Apoſtoli inſtituerant, quam paſſionibus ſuis martyres coronarant, viri in ſemet*

Homines in habitu muliebri.

ipsis fœminas profitebantur. Et hoc sine pudoris umbraculo, sine vllo verecundiæ amictu: ac quasi parùm piaculi esset, Si mallo illo malorum tantum inquinarentur auctores, per publicam sceleris professionem fiebat etiam scelus integræ ciuitatis: paulópost. *Cum enim muliebrem habitum viri sumerent, & magis quam mulieres gradum frangerent, cum indicia sibi quædam monstruosæ impuritatis innecterent, & fœmineis tegminum illigamentis capita velarent. Atque hoc publicè in ciuitate Romana, vrbe illic summa & celeberrima: quid aliud quàm imperii Romani dedecus erat vt in medio Reipub. sinu execrandissimum nefas liceret admitti. Potestas quippe magna, & potentissima quæ inhibere scelus maximum potest, quasi probat debere fieri, si sciens debere patitur perpetrari.* Præfert igitur Saluianus facem & Senecæ & Clementi. Quis enim Romanos rerũ dominos, in tam execrabile nefas incidisse putet, vt eorum pars maxima ausa fuerit virilem habitum & conditionem muliebri commutare? Dii prohibete scelus. Væ gẽti! Huic sceleri capitalis & nouissima pœna lege à Constantio & Constante lata imposita est, quæ extat in Cod. ad l. Iuliam de adult. *Cum vir nubit*

l. Cum vir nubis C. ad l. Iul. de ad.

in fœminam viris porrectùram quid cupiatur, vbi sexus perdidit locum? vbi scelus est id quod non proficit scire? vbi Venus mutatur in alterã formam? vbi amor quæritur nec videtur &c. Rectius legitur in veteri quadam membranula, nec inuenitur? Scio in Arnobio & Minutio Fœlice extare quædam hu ius pessimæ libidinis vestigia, quę sciens & volens prętermitto. Prętermitto quoque quę in hanc rem scripsit Diuus Hieronymus in Epistola ad Eustachium de custodia virginitatis. Valerius Martialis spurcissimus auctor lib. Epig. xii.

Barbatus rigido nupsit Callistratus Apro,
Hac qua lege viro nubere virgo solet.
Præluxere faces, velarunt flammea vultus
Nec tua defuerunt verba Thalasse tibi.
Dos etiã dicta est. Nondum tibi Roma videtur
Hoc satis? expectas nunquid & vt pariat.

Ac quis, vt Clemens scripsit, audiuit mulieres vxores ducere? Id ego nuspiã legi. Latinos frictrices Gręcos τρίβαδας mulieres vocitasse scio, quę se inirent quas Iuuenalis *Saty. 6.* Satyricis salibus perfundit. Et Martialis Epigram. I. lib. *Frictrices*

Quod nũquã maribus iunctã te Massa videbã,
Quodque tibi mœchum fabula nulla dabat.

Omnis & officium circa te semper obibat,
Turba tui sexus, non adeunte viro,
Esse videbaris fateor Lucretia nobis,
At tu prô facinus bassa fututor eras.
Inter se geminos audes committere cunnos,
Mentiturque virum prodigiosa Venus.
Cōmenta est dignū Thebano ænigmate mōstrū,
Hic vbi vir non sit, sit vt adulterium.

l. fœdissima C. ad l. Iuliam de adulteris intellectus.

Malè Iuris interpretes l. fœdissimā C. ad l. Iul. de adult. ea de re interpretati sunt quibus erroris causam præbuit quod in ea scripsit Accursius. Alij (inquit) dicunt loqui quando fœmina agit vt vir, sicut econtra vir vt fœmina, quorum opinio-
" nem Cynus secutus est. Ea ętate quasdam
" mulieres huius nefandæ Veneris crimine pulsatas & damnatas esse didicj. In d. l. fœdissimam dicitur non interdicj earū nuptiis, quæ per vim stupro compressæ essent, sed earum quæ sponte pudorem suum alienis libidinibus prostituissent. Ex eadem Senecæ controuersia didicj cellis meretricum superimponj titulos. Aurelij Fusci hęc verba sūt. *Meretrix vocata es, in communi loco stetisti, superpositus est cellæ tuæ titulus, venientes recepisti.* Hos Tertullian⁹ lib. de pudicitia, libidinum titulos

los vocat. *Vbi proponetur (inquit) liberalitas ista? sub ipsis libidinum ianuis, sub ipsis libidinum titulis?* Eadem controuersia Portius Latro. *educta es in lupanar, accepisti locum, pretium constitutum est, titulus inscriptus est, hactenus in te inquiri potest.* Non solum veró titulus inscribebatur sed etiam meretricis è fronte pendebat nomen. Eod. loco hæc sunt Cestij Pij verba, *Nomen tuum pependit in fronte, pretia stupri accepisti & manus quæ Dijs datura erat sacra, capturas tulit.* Capturæ sunt proprie concubitus præmia. Doctissimus Alciatus παρεργῶν x. obseruauit, mulieres que meretricum quæstum inciperent nomen mutare consueuisse ex hoc Plautj loco.

Meretricis nomen in fronte.

Meretrices nomen mutabant.

Namque hodie earum mutarentur nomina,
Facerentque indignum genere quæstũ corpore.

Publius Vinitus eod. ait hanc sacerdotẽ, de qua hæc excogitata controuersia est nudam in littore stetisse ad fastidium emptoris, omnes partes corporis inspectas & contrectatas fuisse. Et sane Mangonũ mos erat inspectare partes omnes corporis. Hinc Martialis

Quidam me modo Rufe diligenter
Inspectum, velut emptor aut lanista

Cum vultu digitoque subnotasset.

Suetonius in Augusto. *Et conditiones quæsitas per amicos, qui matres familias, & adultas ætate virgines denudarent, atque perspicerent tanquam Thoranio mangone vendente.* Idem in Caligula. *Nō temerè (inquit) vlla illustriore fœmina abstinuit, quas plerumque cum maritis ad cœnam vocatas, preterque pedes suos transeuntes, diligenter ac lentè Mercantium more considerabat, etiam faciem manu alleuans si quæ pudore submitterent.* Dissertissimus poeta Claudianus in Entropio.

Nudatū quoties medicus dum consulit emptor,
Ne qua per occultum lateat iunctura dolorem,
Omnes pœnituit pretij venumque redibat
Dum vendi potuit.

Hinc Plinius minor j. Epistolarum salsè & facetè dixit de vænalibus, non melius auribus, quam oculis iudicari. His me Hercules expleri non potest curiosus animus, addendum igitur est quo die, quo loco mercatꝰ meretricius celebraretur. Ex Plauti Poenulo teneo per Aphrodisia i. diem Veneris festum in æde Veneris celebrari.

Dies mercatus meretricij.

---AG. pulchrum & celebrem & venustatis diem

Plenum:dignum Venere qui ſint Aphrodiſia hodie.

Deinde paulòpoſt eadem ſcena ſubijcitur ab Adelphaſio ſcorto.

AD.Quia apud ædem Veneris hodie eſt mercatus meretricius

Eò conueniunt mercatores:ibi me ego oſtendi volo.

Hæc nefanda ſtuprorum&adulteriorum portenta non ſine admiratione ac odio legimus, hodiè peiora fiũt ſed occultiùs.

Cur mari immergerentur Androgyni, Maris vndam cur Magi veneratione proſequantur.

CAP. III.

APVD Iulium obſequẽtem libello de prodigijs, variis ex locis didici, Androgynos ſiue Hermaphroditos Aruſpicum præcepto in mare deportari vndiſque ſubmergi ſolitos. Duobus tantum, ni fallor, locis, ſemimarem vnum necatum, alterum expoſitum flumini. Huius inſtituti dum curioſiùs exquiro rationem, venit in mentem

veteres ad purganda & expianda mala omina, æquoris aquis vſos frequentiſſimè fuiſſe. Atque illud teneo nil priſcis religionibus continerj, quod non naturali aliqua cauſſa inſtitutum, confirmatumque ſit. Equidem elementum pelagi ſanctiſſimũ eſt, atque nitidiſſimum. Quicquid ipſo mari deuoratur, quicquid vorax abſorbet Scylla, quicquid in Charibdim prouoluitur, quicquid cœli & tempeſtatis iniuria perit, id omne vel ad littus exploditur, vel Taurominitanis ſcopulis exponitur. Lubet addere Latini Pacati elegantiſſimam ſimilitudinem. *Noſter pyrata quicquid vndecunque conuenerat, id nobis ſibique periturum, in illam ſpecus ſui Charibdim congerebat: Charibdim loquor? quæ cum plena nauigia ſorbuerit, dicitur tamen eructare naufragia, & contortas fundo rates, Taurominitanis littoribus exponere.* Cadauera vero & alia quæque naufraga littoribus reddi haud vulgus ignorat. Plinius ait omnia plenilunio maria purgari, quędam & ſtato tempore, circa Meſanam & Mylas fimo ſimilia expui purgaméta. Equidem illa natura, nil fœdi, nil inquinati pati poteſt. Itaque Diogenes Laërtius ait Eu-

Mare nihil fœdi patitur.

ripidem cum Platone in Egyptum profectum, ibíque ęgrotantem marina curatione ſanatum à Sacerdotibus Ægyptiis. Ex quo poſtea cecinit. *Marinæ vndæ ad medelam vſurpatæ.*
θάλασσα κλύζει πάντα τ᾽ἀνθρώπων κακά.
Magi principium illud veneratione maxima proſequuntur: Ita vt nauigare nefas putent, quia pelagus humanis neceſſitatibus violare ſummi eſſe ſceleris arbitrantur. Hinc dę Tyridate mago à Nerone accito, Plinius. *Magus ad eum Tyriditates venerat, Armeniacum de ſe triumphum afferens, & ideo prouinciis grauis nauigare noluerat, quoniam expuere in maria, aliiſque mortalium neceſſitatibus violare naturam ipſam fas non putent.* Porro marinas vndas in purgationibus maximè vſurpatas veteres teſtantur ſatis. Apuleius lib. XI. Metamorphoſeos, *confeſtin (inquit) diſcuſſa pigra quiete, alacer exurgo méque protinùs purificandi ſtudio marino lauacro trado, ſepties ſubmerſo capite fluctibus.* Infrà. *Ac deinde ſudore nimio permixtus exurgo: Summèque miratus deæ potentis tàm claram preſentiam, marino rore reſperſus magniſque imperijs eius intentus monitionis eius ordinem recolebam.* Valerius Catullus auerſas incœſtaſque Gellij *Nefas exspuere in maria.*

veneres carmine mordaci perstringens, ait eius libidines Oceanum ipsum abluere non posse. Eius hi versus sunt.

Oceanus purgator.

Suscipit ô Gelli, quantum non vltima Thetis,
Non genitor Nympharum abluit Oceanus.

M. Tullius pro Roscio Amerino. *Noluerunt corpus feris obiicere, ne bestiis quoque quæ tantum scelus attigissent immanioribus vteremur, non sic nudos in flumen deiicere, ne cùm delati essent in mare, ipsum polluerent quo extera cum violata sunt expiari creduntur.* Lactantius Firmianus diuinarum institutionum v. cap. xx. *Et se piè sacrificasse opinantur, si cutem lauerint tanquam libidines intra pectus inclusas, vlli amnes abluant, aut vlla maria purificent.* Hippolytus â nouerca flagitatus ad incœstum, sic exclamat apud Senecam tragœdum.

Quis eluet me Tanais, aut quæ barbaris
Mœotis vndis pontico incumbens mari,
Non ipse toto magnus Oceano *pater*
Tantùm expiarit sceleris.

Arbitror igitur in mare deportasse Androgynos, quod nullis nisi æquoris vndis eiusmodi portentum lauari & expiari posse arbitrarentur. Solebãt enim Romani quæcunque insolita aut prodigiosa

contigerant, mali ominis auerruncandi caussa, expiationibus quibusdam & religionibus procurare. Quicquid enim huiusmodii nuntiabatur accidisse, istud portenti & euentus infoelicis, prodigijque loco habuisse in comperto est.

Illustrata L. obnoxios C. de religiosis & sumptib. funer. Et canon quæsitum c. xiij. q. 2. Et totus Titulus ff. de cadaueribus punitorum.

CAP. IIII.

LApideo sunt corde multi (inquit Cato) quos non miseret neminis: quis enim non putet illorũ pectus esse ferreum, quorum crudelitas exquisito mortis suplicio satiari nequit, nisi quoque torta, fracta laceratáque membra, prohibeantur sepulturæ beneficio? Summam & vtilitatis, & pacis rationẽ nostros habuisse maiores haud negare quispotest cũparricidas, homicidas grassatores cæterósque eiusmodi, feralibus culei angustijs cõcludi, furcæ affigi, igne absumi, in equuleo distẽdi, alijsque grauioribus suppliciis torquerivoluerũt.

At quis probet illum qui iam vbique inualuit morem, quo punitorum cadauera ferarum nefando pabulo, & tristi lanienę relinquuntur? Quasi parùm esset vitam contra naturæ legem abstulisse, nisi quoque exanimo corpori, & diuinæ maiestatis imaginj, crudelitatis & inhumanitatis notæ inurerentur. Id ego magis barbaras quā benè moratas vel institutas gētes decere puto. Itaque à primis Christianæ religionis auctoribus quæsitū est, vtrùm eorum qui furcæ legitimis ex causis affigerentur, cadauera post peractam Deo confessionem, sanctæ ac religiosæ tellurj mandari liceret, & solennia pro eorum salute officia pręstare. Inuenio sic Maguntinensi concilio deffinitum esse, cuius pars in decreto extat, causa 13. q. 2. Verba concilij hæc sunt. *Si de omnibus peccatis suis puram confessionem agentibus, & dignè pœnitentibus, communio in fine secundum precepta canonum danda est: cur canones communionem vel sepulturam eis interdicunt, qui pro peccatis suis penam extremam persoluunt, & confitentur vel confiterj desiderant? Scriptum est. Non iudicabit Deus bis in idipsum.* Sic humanissimi principes Diocletianus & Maximia-

Quorum reorum cadauera sepulturæ tradātur.

nus rescripsere se non vetare digno subiectos supplicio tradi sepulturæ.l.Obnoxios.C.de relig.& sũptib.Paulus respondit, corpora animaduersorum, quibuslibet petentibus ad sepulturam danda " esse,l.vlt.ff de cadauerib.punitor. Vlpia- " nus l.j. Eod. dixit,nõ aliter sepeliri, quã " si fuerit petitum & permissum, nec eo- " rum corpora,qui maiestatis damnati essent peti potuisse,ossa & cineres combustorum peti posse,& obseruasse D.Augustum vt lib .x. de vita sua scribit, ne cadauera punitorum cognatis ipsorum negarentur. Sanè corpora maiestatis damnatorum nonunquam concedebãtur,vt Iosippo sacrosanctum CHRISTI cadauer á Pilato, quia maiestatis damnatus fuit, quod se regem Iudæorum dixisset, & eo modo maiestatem, ac imperium Cæsaris minuere videretur. Eum ob id crimen impiè sublatum in crucem testatur inscriptio, siue inscriptionis titulus vt scriptores historię sacrę loquuti sunt: Qui pro Romanorum more eius capiti super impositus fuit, solebant enim titulum apponere causam supplicij conti-

Maiesta-tis damnati etiam sepulti.

Inscribere

nentem, vel præco exclamabat vt in l. fustib.C.ex quib.causis irrog.inf. l.ictus ff. de his qui notantur inf. quod dicebatur superdicere. l. si duo §. vlt.ff.de iureiur. Sicut cùm titulus imponebatur inscribere, id quoque præconis eloquium dicebatur vt apud Spartianum in Seue- „ ro. Fustibus eum sub Elogio præconis „ cecidit. Qua de re videsis Iacobum Cuiacium doctorem meum Obser. 8.ca. 7.13.cap.3.quo nullus vnquàm iuris ciuilis antiquitatem vel doctiùs scrutatus est vel integriùs docuit. Quod vero Augustum lib.x.de vita sua scripsisse obseruauit Vlpianus, eum capite damnatorum corpora cognatis ipsorum non negasse. Lōgè aliter Suetonius,in ei⁹ vita,quē ait vni ex Philippense prælio captiuo sepulturam petenti denegasse: Eius hæc verba sunt. *Nec successum victoriæ moderatus est, sed capite Bruti Romam misso, vt statuæ Cæsaris submitteretur, in splendidißimū quemque captiuum, non sine verborum contumelia sæuit. Vt quidē vni sepulturā precāti respondisse dicatur, iā illū in volucrū potestatē fore.* Contumeliosè quidē & crudèliter & iuxtà illud Horatianū,qui eandē quā Augustus

Inscribere

Superdicere.

Suetonij verba quæ videntur contra ipsa esse quæ de se D. Augustus scripsit.

dicendi formulam vſurpauit.
Non hominem occidi,nō paſces in cruce coruos.
Facile princeps petenti ius ſepulturę dabat, vt apud Caſſiodorum Theodoricus rexHecditij liberis tribuit lib.2.Epiſtola xxij.cuius hæc eſt elegantiſſima ſententia.*Inſatiabilis quippe fletus eſt qui humandis non ſinitur corporibus intereſſe, dum ſemper ſe reū iudicat qui cineribus iuſta nō præſtat.*Poſt humius iunior declamat.vj.*cruces ſuccidūtur, (inquit)percuſſos ſepeliri carnifex non vetat.*Deinde aliquantó poſt. *Dicendum eſt quod hoc ipſo admoneor exemplo, in honorem pietatis,etiam damnati ſepelliuntur.*Apud nos quiſquis reus capite damnatur, nō ſepelitur quod non tam ad delictum pertinet quā ad exemplum. Fab. Quin.decl.274 *(inquit) quotiès crucifigimus noxiis celeberrimæ eliguntur viæ,vbi plurimi commouerj hoc metu poſſint.Omnis enim pœna non tam ad delictum pertinet quam ad exemplum.* Credo indulſiſſe Romanos animaduerſorum cadauera ne videlicet eorū animæ centum annos errarēt,& circúm Stygis littora volitarent.Credebantur enim non priùs inſepultorū animę trāſuehi,quampoſt centum annos. Tertulianus de anima ſic ait

Capite dānatos ſepelire licuiſſe.

Creditum est insepultos, non ante ad inferos redigi, quàm iusta perceperint, secundum Homericum Patroclum funus in somnis de Achille flagitantem, quod non alias adire portas inferorum posset, arcentibus eum longè animabus sepultorum. Cuius doctrinam secutus Vergilius Sybillam vi. Æneidos sic loquentem inducit

Animæ insepultorum errãtes.

Hæc omnis quam cernis inops inhumatáque turba est.
Portitor ille Charon, hi quos vehit vnda sepulti
Nec ripas datur horrendas, nec rauca fluenta
Transportare priùs, quàm sedibus ossa quierunt,
Centum errant annos volitantque hæc littora circum,
Tum demum admissi stagna exoptata reuisunt.

In hæc verba inops inhumataque notat Serui⁹ eos intelligi, qui neq; legitimã neque imaginariã sepulturã haberẽt. Vt verò miseri habebãtur ipsi apud Romanos quorum corpus iacebat inhumatum: Sic apud Hebræos maledicti à Deo vt legi Deuteron. cap.xxi *Quando* (inquit Moyses) *peccauerit homo quod morte plectendum est, & adiudicatus morti, appensus fuerit in patibulo: Non permanebit cadauer eius in li-*

gno sed in ea die sepelietur, quia maledictus à Deo est qui pendet in ligno, & nequaquam cōtaminabis terram tuam quam dominus deus tuus dederit in possessionem. Iosephus 4. Antiquitatum cap. VI. contrà Appionem lib. 2. addit Moysem iussisse vt quibuscūque legibus morte damnatus sepeliretur, nulliúsque siue captalis rei, siue hostis cadauer sepulchri honore siuè telluris beneficio priuaretur At non modo contra hanc legem itur, verumetiàm exquiruntur noua genera, quibus animaduersorum corpora miseriùs exponātur. Caput à corpore auulsum aliàs affigitur, alias trunci corporis discissa & separata membra collocantur, aliquandò suspendio librantur, aliquando fractum & contritum corpus rotæ innexum relinquitur. Cuiusmodi illud est quod ab Æmonio monacho describitur lib. 5 cap. L. *Nequissimus* (inquit) *Burchardus consensu sociorum fuga Elapsus Flandriam exire volens nec valens, sola iniquitate propria prohibente, infirmitate cuiusdam familiaris reuersus, & interceptus regis imperio, exquisito mortis genere alta rota superligatus coruorum & Alituum rapacitati expositus, desuper oculis defossus, &*

Apud Hæbreos capite damnati sepeliuntur.

Crudelissimum genus exponendi cadaueris.

tota facie dilaceratus, infernis sagittis & lanceis & iaculis milies perforatus, miserrime interfectus, in cloacam proiectus est. Hîc vides originem ac initium rotę, quod supplicium puto potius Franciscum .I. in Gallia fecisse crebrius quàm innouasse.

Locus Petronij arbitri emendatus. Quid clauus Annalis, eiusdem de rebus furto sublatis quæ sub crepusculum vendi solitæ erant locus illustratus.

CAP. V.

APud Petronium Arbitrũ multa sunt impudica fateor, & quę Cato ipse iniquis oculis, animoque legeret iniquo. At ipsum idcirco dari æternis tenebris, obliuionique sempiternę quî fieri potest? Illum Venus ab obliuionis periculo, sarctum tectumque facias, qui in te ornãda nullas dicendi veneres, nullas pretermisit elegãtias. Ve Gothico seculo! quo nõ modo capite minutum est Romanum imperium, verumetiam litteræ ad internecionem occisæ: Per hocce tẽpus liberales artes velut nube quadam obductæ sunt, non solũ bibliothecę ritu sepulchrorum clausæ, verumetiam incendio flam-

miſque conſumptę. Væquoq; Caſſianis quibuſdam monachis!qui cum ſine tentigine ac prurigine Petronio dare operã non poſſent, illi laſciuienti & luxurianti penem ſuſtulerunt. Vellem quidem, ipſe pretextatis verbis abſtinuiſſet & rebus aliis conſcribẽdis capitale ingeniũ, & graphicam eloquentiam occupaſſet, ſanè di ſertorum apud Latinos familiam duceret. At Neronis ſæuitię id aſcribo, cuius vlſciſcendi cauſa ſub exoletorũ & Cynędorum ſpurcis figmẽtis incœſtas & execrabiles libidines palã fecit. Qui hoc nõ intellexere illi velut impudico & propudioſo nebuloni fibulam impoſuerunt, Quaſi ille Iuuenale fuerit impudicior qui eaſdẽ res eodẽ ore proſequutus eſt. Deſiderabatur ipſe non ita diu, ſed P. Pithoeus & Cl. Binetus Romanæ maieſtatis optimi vindices fecere, ne ipſũ vel amiſſum deſideraremus, vel corruptũ & inquinatum contẽneremus. Illi velut inter altas cadauerum ſtrages animã agẽti, medicę manus pręſto fuere: poſſum ego quibuſdam vulneribus ſic mederi. Petronius.

Petronius à Monachis male acceptus.

Petronius ſub exoletorum nominibus inſectatur libidines Neronis.

Et paries circa palea ſatiatus inani,
Fortuitoque luto, clauus munerabat agreſtes.

Actũ erat de huius loci elegantia nisi mihi Sextus Pompeius horum versuum interpretationem inuestiganti opem tulisset. Confidenter igitur sic lego.

Et partes circa palea satiatus agresti,
Fortuitoque luto. Clauus numerabat & annos.

Fieri potuit quod contingit haud rariter, vt transmigrarent cognatorum versuum vltimæ dictiones, cui sanè transmigrationi hoc loco datus est locus Reposuimus vero loco *inani, & annos* siue *in annos.* Quia ex. Sext Pompeio didicimus Clauos annales dici ex quibus numerus colligeretur annorum. *Clauus annalis appellabatur*(inquit) *qui figebatur in parietibus sacrarum ædium, per annos singulos vt per eos numerus colligeretur annorum.* Quos Clauos figendi ius Prætori erat & idcirco inter eius Iura ius figendi claui ponitur. *Titus Liuius. Lex vetusta est* (inquit) *priscis litteris verbisque scripta, vt qui prætor maximus sit, Idibus Septembris clauum pangat.* Et in quodam vetustissimo marmore nuper Romæ inuento.

M. Oratius

M. Oratius consul ex lege, templum Iouis opt. Max. dedicauit, anno post reges exactos. à Consulibus posteà ad Dictatores, quia maius imperium erat, solēne claui transfigendi translatum est.

Ex quo videre est quo tempore id solenne trāslatum sit. Arbiter igitur barbari adhuc & inculti seculi rudes & incompositos mores describens, dicit clauis annos numerari solitos, quos secuta ætas paulò cultior & elegantior per consules numerauit. porrò quænam est huius loci sententia? *Veniebamus in forum deficiente iam die, in quo notauimus frequentiam rerum vænalium, non quidem pretiosarum: Sed tamen quarum fidem male ambulantē, obscuritas temporis facillimè tegeret:* Sub crepusculum mercatum institui absurdum est. Itaque puto rerum furtiuarum forum intelligi, quæ in saburra deficiente iam die vænales proponerentur, idcircó harum fidem male ambulantem dicit Horatius lib. Sat. j. *Mercatus rerum furtiuarum.*

Fallacem circum, vespertinumque pererro
Sæpe forum.

Helenius Acron & Porphyrio interpre-

tes Horatij antiquissimi, de Saburra maiore, hunc locum accipiunt, in qua vespe ri furtiuæ res semper venundabantur. Itaque vespertinum forum dixit, quia occidente sole rerum furtiuarum mercatus inciperet. Hinc Plautus salsè in milite glorioso prouerbii loco vsurpauit *Vesperi suo viuere*, pro eo quod est furtis suis vitam sibi parare. Ea de causa Propertius vigilacem Saburram dixit.

Vesperi suo viuere

Iamne tibi exciderint vigilacis furta Saburræ.

Vigilax Saburra.

Subiicit Petronius. *Cum ego & ipsi raptum latrocinio pallium detulissemus, vti occasione opportunissima cœpimus, atque in remoto angulo laciniam extremam cōcutere*, &c. Sepultum igitur hunc morem luci reddidi, quem nemo ante me vidit.

Nationum solennes migrationes μέτοικοι, *pertermine*, διαβατήρια.

CAP. VI.

ACcepimus ex veterum memoriis quasdam nationes vel fœcunditate nimia, nõ præstantibus alimenta terris, vel horrore cœli, vel sterilitate soli, vel belli iure grassante victore, vel aliarum regionum vbertate ac aëris temperie pellectas & coactas, patrium & auitum solum mutare, ac extorres se passim per alias gentes velut examina diffũdere. Proletariæ Gallorum & Germanorum gentes quæque penitiùs sub arcto consistunt Orientem & Occidentem inundauere. Testes Franci, Gothi, Visigothi, Gepidæ, Hunni, Vandali qui copiis suis orbem Romanum latè ac diffusè peruagati sunt. Phryges Metropoli vrbe excisa exustaque natale cœlum deserentes, Duce Ænea in Latium fluxere, ac Romanis Gallisque dederũt initium. Lubet Septimi Tertulliani verba transcribere, que extant lib. de anima. *Inuenimus (inquit) apud commentarios etiam humanarum Antiquitatum, paulatim humanum genus exuberasse, dum Aborigines vel vagi, vel extortes, vel gloriosi*

Transmigrationes Septentrionalium nationum

quique occupãt terras, vt Scythæ Parthicas, vt Menidæ Peloponnesũ, vt Athenienses Asiã, vt Phriges Italiam, vt Phœnices Africam, dũ solennes nationum migrationes, quas μετοικιάς *appellant consilio exonerandæ popularitatis in alios fines examina gentis eructant. Nam & origines nunc in suis sedibus permanent, & alibi amplius gentilitatem suam foenerauerunt.* Idem in libro de Pallio, quo non extare inter Græcos & Latinos, scholasticum opus elegantius & eruditius ausim affirmare. *Transuolauere redundantiũ gentium examina, Schytæ exuberant Persas, Phœnices in Africam eructant, Romanos Phryges pariunt, Chaldæum semẽ in Ægiptum educitur, dehinc cum inde transducitur Iudæa gens est.* Eleganter μετοικιάς dixit solennes nationum migrationes μέτοικοι (inquit Sudas) οἱ ἀφ' ἑτέρας πόλεως μεταςάντες καὶ εἰς ἑτέραν οἰκοῦντες. in Paneg. Flauiensium nomine Constantino A. dicto. *Ob hæc igitur merita & prisca, Diuus pater tuus ciuitatem Heduorum voluit iacentem erigere, perditamque recreare, non solum pecunijs ad Kalendaria largiendis, sed & metoecis vndique transferendis, vt esset illa ciuitas Prouinciarũ velut vna mater, quæ reliquas vrbes quodammodo Romanas primafe-*

ciſſet. Metoeci quoque fit mentio l.4.c.x. de iure fiſci. Metoecus à Μετοεcio dictus id eſt duodecim drachmis quas quotannis velut inquilini luere cogebantur qui in aliena ciuitate larem fouebant, vt Cœlius Rhodigynus in commentariis lect. Antiquar. ſcripſit. Anno ſal. cIↃ, cc. 38. imperante Friderico ij. Tartari gens Scythica ex Septentrione more veterum nationum erupere, pars occidentem, pars Orientem inuaſit, eorum prædę ac libidini ceſſere Polonia & Ruſſia, quæ etiam hodie ab his terrarũ prædonibus vi poſſidentur. Sacrificia verò pro more in trãſitu fiebant vt in ſacris commentariis legimus Deum Opt. Max. Hebreis ex Egiptiorum vinculis aufugientibus iuſſiſſe vt Paſchæ ſolennia celebrarent. Theodoretus lib. Quæſtionum in Exodum. Paſcha (inquit) Philo interpretatus eſt διαβατήρια, Ioſephus ὑπέρβασιν Symmachus ὑπερβάσεις, Theodotion φασὲχ Hebraica voce non mutata. Διαβατηρία ſacra ſunt quæ in tranſitu fieri moris erat. Plutarchus in Lucullo. ἔθυσε τῷ εὐφράτῃ διαβατήρια Captare puoq; auſpicia ſoliti erãt Romani cùm de fine Romano in agrum

peregrinum transibant, quod auspicium pretermine dicebatur. Victorinus Afer de Ortographia, cui soli huius nominis notitia debetur. *Pertermine (inquit) dicitur auspicium quia fit cum de fine Romano in agrum peregrinum transgrediuntur.* Qui grammaticos paruj pendit, hæc se ignorare fateatur necesse est.

Pretermine genus auspicij.

Nonij Marcelli locus ex Gellio emendatus, additis de matronis vetustiorum auctorum quibusdam locis.

CAP. VII.



VLLUS Grammaticorum Nonio Marcello, mendosior & contaminatior extat, nullus cui lectionum copia maior sit & iudicium leuius in colligendo. Ad eum emandandum quoniã docti omnes velut dato signo cõcurrunt, ego ipsi hoc loco dabo operam, Verba eius hæc sunt quę mihi auxilium emendationis implorare videntur. *Matronæ & Matrisfamilias dissimilitudinem hoc modo veteres docti sepa-*

rant quidam, vt sit matrona quæ peperit semel, Materfamilias quæ sepius. Sed hæc deffinitio videtur absurda. Ad hæc fidelius locupletiores. Matronam quæ in matrimonio sit mariti etiã ante susceptos liberos, dictã meliore tamẽ matris futuræ spe. M. Tullius nomine nuncupatam. Matrẽ verò familias quæ in familia, &c. Iacobus Cuiacius c. v. doctor meus omnium quantum est qui viuant hominum homo honoratissimus, postrema Nonij verba castigauit obser. 7. cap. xj. Alium ego eius emendationis fundum & suscriptorem non postulo. In vno Cuiacio ipsę loquuntur litteræ. Eodem ego auctore quo ille in eo emendando vsus est, vtar quoque, sicut illi Gellius, ita mihi fœliciter affulsit. Hæc mihi in Nonio verba mendosa & monstrosa videntur. *Sed hæc deffinitio videtur absurda.. Ad hæc fidejiùs locupletiores.* Ego pensitatis & excussis antiquæ lectionis vestigiis ita lego. *Hæc differentia videtur àbsurda. At hanc Aelius de loquendi proprietate.* Meminit eius Aelij litterati hominis ac eius libri de loquendi proprietate Aulus Gellius lib. xviij. cap. vj. apud quem hæc

Nonij corruptißimus locus

Aelij nomen restitutum.

matronę & matris familias extat iisdem ferè verbis differentia, quam ipse Gellius insectatur, eiusque auctorem laudat Ælium de loquendi proprietate. Nec sanè Nonius aliunde hanc differentiã quam ex Gellio hausit. Aliam ego soleo adhibere differẽtiam inter matronas & matres familias matronæ tantum dicebantur illustres ac nobiles fœminę: Matres familias vero quęcunq;, in familia mancipióque mariti essent. Georgius Cedrinus in annalibus ὅτι ῥωμαῖοι τὰς σώφρονας γυναῖκας ματρώνας ἐκάλουν, οἱ δὲ ἕλληνες οἰκοδεσποίνας. *Seruius in Virgilij commẽtarijs hoc loco.*

Matrona Matris familias.

Quæ te sola puer multis è matribus ausa persequitur.

Ex matribus inquit id est ex nobilibus. Nã matres nõ nisi nobiles dicimus. Vnde & matronæ dictæ sunt. Matres quoque familias Gręci dixerunt οἰκοδεσποίνας & hę propriæ dicebantur quæ per coẽptionẽ in mariti manũ conueniebant, qua in coemptione interrogabatur mulier an mater familias & vir pater familias esset. Paulus Apostolus ad Timotheũ :. βούλομαι (inquit) οὖν νεωτέρας γαμεῖν, τεκνογονεῖν, οἰκοδεσποτεῖν, μηδεμίαν ἀφορμὴν διδόναι τῷ


Illustratus Pauli locus.

ἀντικειμένῳ λοιδορίας χάριν. Vetus interpres οἰκοδεσποτεῖν, vertit matres familias esse, Erasmus domum administrare. Vtérque rectè. Matri enim familias cura familiæ & domesticorum negotiorum incumbit, vt lanam facere, curare victum vestitumque familiæ, dare operã vt tersa nitidáque supellex domúsque sit. Quoniam vero vt inquit Clemens Alexandrinus γάμος ἐστὶ σύνοδος ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς ἡ πρώτη κατὰ νόμον ἐπὶ γνησίων τέκνων σπορᾷ id est matrimonium est prima viri ac mulieris coniunctio legitima ad liberorum procreationem, Paulus dixit γαμεῖν τεκνογονεῖν. Equidem hæ duæ in matresfamilias desiderantur virtutes vt scilicet crebris puerperiis atque natalibus honestetur ac procurandæ rei familiari fœlicem nauet operam. Mirum est quantũ generosis mulieribus ius faueat. Vt quærendæ prolis ergò contrahitur matrimonium, sic sterilitatis causa rumpitur atque dissoluitur. Sterilitas primùm inuenit diuortium, fœcunditas iura singularia sibi quæsiuit. Mulieri ius trium liberorum habenti filij intestatò mortui hæreditatem detulit S. Ctum

Matrimonij definitio.

Matronæ decora.

Fecunditatis laus.



Tertyllianum. Hinc illa in cantiquo marmore gloriatur.

Meia fui fœlix, ſeptem circundata natis
Dum vixi aſtabat Romula turba mihi.
Vt mihi grata vicem natorũ turba placebat,
Hoc mihi de pario marmore ſtruxit opus.
Manibus atque meis nati pia vota dedere.
Perſoluere meis manibus inferias.
Poſtquam nulla mei (ſuperis) vos cura fatigat.

Vicem pro viginti.

Reliqua tempus edax abſumpſit. Ex tertio carmine puto, pro viginti vicem dixiſſe antiquos vt decem à quo velut decennium ſic fortè à vicem vicennium à tricem tricennium dictum eſt. Apud Mænandrum comicum quidam pater. Sponſum filiæ ſic affatur, παίδων σπόρῳ τῶν γνησίων δίδωμι σοί γε τὼ ἐμαυτοῦ θυγατέρα id eſt ad ſeminãdos libros tibi vnicã trado filiam. Apud Ennium in Creſphõte quædam mater familias ſic loquitur, *ille me duxit vxorem liberûm ſibi quæſendûm gratia.* At quæ domeſticis curis vacaret haud minore exiſtimatione digna putabatur. Ob lanificium celebratur Caia Tarquinij vxor. In vetuſtís lapidibus inter matronalia ornamenta & decora il-

Lanificii honos.

lud est precipuum. *Domum seruauit, lanam fecit. Dixi, Abei.* Itaque arbitror nō modo nuptiis natalibus & puerperiis: verumetiam bonis moribus laudatiores commendatioréſque fieri matres familias.

Solennia verba militaris auctoramenti, atque eius quo se locarent Arenæ. Seneca emendatus atque illustratus.

CAP VIII.

ANnnæus Seneca. Epiſtolar. 37. ad Lucillium ſic ait. *Quod maximum vinculum est ad bonam mentem, promisisti virum bonum, sacramento ligatus es. Deridebit si quis tibi dixerit mollē esse militē & facilem. Nolo te decipi eadem honestissimi huius & illius turpissimi auctoramenti verba sunt, vri, vinciri ferroque necari.* Virum bonum Latini dixere ſicut Græci ἄγαθον virū ſcilicet ſtrenuum & Martium: Hinc Hiero à ſenatu vir bonus ſociuſque egregius appellatus eſt. Titus Liuius *ab Senatu* (inquit) *ita regi, virum bonum egregiumque socium Hieronē esse atque vno tenore &c.* Itaq; promittere virū bonū ex ſolēnib⁹ ſacramenti militaris verbis tractum eſt. At verò

Vir bonus

Promittere bonum virum.

de militari sacramento hæc legi. Opes deorum in aciem ferebantur ac velut initiabantur milites, dictumque imperatoris proponebatur, quo iuniorum qui non conuenissent, & eorum qui iniussu abiissent capita deuouebantur. Liuius. x. *& opes deorum etiam adhibuerant ritu quodam sacramenti vetusto, velut initiatis militibus delectu per omne samnium habito noua lege vt qui iuniorum non conuenisset ad imperatoriū edictum quique iniussu abisset caput Ioui sacratum esset.* An non horrenda est illa sacramenti religio, qua suos vincit obligátque milites L. Papyrus Cursor paulòpost apud eundem. *Sacrificio perfecto per viatorem imperator acciri iubebat nobilissimum quemque genere factísque. Singuli introducebantur. Erat cum alius apparatus sacri qui perfundere animum religione posset: Tum in loco circa omni contecto, aræ in medio, victimæque circa cæsæ, & circunstantes centuriones strictis gladiis. Admouebatur altaribus, miles magis vt victima quam vt sacri particeps. Adigebaturque iureiurando quæ visa auditáque in eo loco essent, non enuntiaturum. Dein iurare cogebatur diro quodam carmine in execrationem capitis familiæque composito nj*

Solennia sacramenti militaris.

Mira sacramenti religio.

isset in prælium quo imperatores duxissent. Et si hi aut ipse ex acie fugisset aut si quem fugientem vidisset non exemplo occideret. Pretermitto iurisiurandi formulam quã ex Cincio Gellius retulit lib. noct. Atti. libr. 16 cap. 4. Et Ioannes Salisb. ex Iul. Frontino & Vegetio cap. 7. lib. 6 Hinc forte posteriorum temporum mos ille fluxit quo milites iuramentum concepturi admouebãt suis ceruicibus gladios. De quo Ammianus Marcellinus lib. 21. *Iussique vniuersi in eius iurare nomen solenniter, gladiis ceruicibus suis admotis sub execrationibus diris, verbis iurauere conceptis*. Quem morem etiam hodie Tartari retinuere: quos ex Annalibus Sarmatarum & eius qui Abbatis Vsperg. chronicis Paralipomena adiecit didici solitos esse super Frameas iurare, aquam qua eorum gladij Frameæque eluuntur epotare, & iusiurandum militare his verbis concipere. *Quicunque pacta ligam, & fraternitatem violauerit aut contra eam violandam insurrexerit vel aliud quippiam intẽtauerit à frameis incidendus occidẽdusque pereat, & tanquam aqua defluat atque euanescat.* Hoc sanè barbaricũ, nescio quid olet, nec mirum cum hodiè

Mos veterum in sacramentis admouentium gladios ceruicibus.

Solennia *verba Tartarorum in iureiurando militari.*

nulla gens sit quæ cum ipsa barbarie ac crudelitate certare possit. Sic Tert. in apologetico refert, quasdam nationes sanguinem humanum in fœdere hausisse. *De sanguinis pabulo,* (inquit) *& eiusmodi tragicis ferculis legite, necubi relatum sit, diffusum brachiis sanguine ex alterutro degustatum, nationes quasdam fœderi comparasse, nescio quid & sub Catilina degustatum est.*

At turpissimi illius auctoramenti, quo se perditi & conclamati homunciones ad arenam locarent, verba mendosa sunt hoc loco. *Lego enim vri, virgis, ferróque necari, nō vinciri*: hæc enim sunt solennia & concepta verba. Horatius Flaccus.

Auctoramenti cautiones siue solennia verba.

Quid refert vri virgis ferroque necari,
Auctoratus eas.

Id probat Hellenij Acronis commentarius in hunc locum. *Nam gladiatores* (inquit) *ita se vendunt, & cautiones faciunt, vri flammis, virgis secari, ferroque necari.* Porphyrio ius esse dicit in gladiatorem constitutum. Petronius quoque Arbiter sic ait. *Itaque vt duraret inter omnes tacitum mendacium, in verba Eumolpi sacramentum iurauimus vri virgis ferroque necari & quicquid aliud Eumolpus iussisset, tanquam legitimi*

Tetigit. Hoc Lipsius in Saturnalib. vt posteà vidi.

gladiatores domino corpora vitáſque religioſiſſime addicimus. Auctorati verò erant qui ſe vendebant ludo, auctoratio dicebatur venditio gladiatorum. Vetus Gloſſariũ, auctoratus αὐταίρετος εἰς δοῦλον ἑαυτὸν βάλλων, καὶ μονόμαχος. De his elegantiſſime diſputat Tertul. 2.lib. ad Martyres. *Quot otioſos affectatio armorum ad gladium locat? Certe ad feras ipſas affectatione deſcendunt, & de morſibus & cicatricibus ſibi formoſiores videntur. Iã & ad ignes ſe quidam auctorauerũt, vt certum ſpatium ſub tunica ardente conficerent. Alij inter Venatorum taureas patientiſsimis ſcapulis inambulauerunt.* Taurcas interpretor, flagella ex Taurino corio, ſicut Bucceas ex Bouillo apud Plautum. Cyprianus quoque Septimij Tertulliani magiſtri vt vocabat ſui ęmulator optimus, & penè idem, hos ſic perſtringit lib. Epiſtolarum 2. *quid illud oro te quale eſt? vbi ſe feris obiiciunt, quos nemo damnat? ætate integra, honeſta ſatis forma, veſte pretioſa viuentes in vltroneum funus armantur. Malis ſuis miſeri gloriantur, pugnant ad beſtias non crimine, ſed furore.*

Auctorati qui.

Taurea.

Quid ſit apud Ammianum Marcellinum impetrabilis efficacia, addita quædam de verbi ſignificatione impetrare, ac patrare.

CAP. IX.

CVm legerem Ammiani Marcellini hiſtorias, eaſque non raptím, nec velitatim, ſed more meo accuratè ac diligenter, vt multis in locis hærerem fecit ignorantia ſignificationis verbi impetrare. Quod ne cui contingat, hoc caput illi ſacrum erit. Ille auctor cum de Nicatore Seleuco loqueretur, illum efficaciẹ impetrabilis regẽ dixit cũ de Scipione Æmiliano illius impetrabili vigilantia obſtinatas in perniciẽ Romę, duas potentiſſimas Aphricæ vrbes exciſas eſſe dicit, lib. xvii. Aliàs inquit nihil impetrato intra mœnia, alias impetrabiles virtutes dixit. Equidẽ quid eſſet vocabulum illud dubitabam, deque lectionis ingenuitate dubius eram animi. Quia nullum autorem eo modo locutum eſſe non ignorabam. Plauto huius ver-


iusverbi significationem acceptam fero. *Impetrare*
Impetrabile eo quod ad exitum perdu- *quid.*
cit. Impetrare, ad exitum perducere siue
consummare est. Plautus in Poenulo.

Incipere multo est quam impetrare facilius.

Impetrare ac perpetrare ab antiquo verbo, Patro, deriuata sunt. Patrare est consummare: Itaque patratio rei veneriæ cõsummatio dicta est. Hinc patres quod patratione peracta filios procreassēt, Isi- *Patrare.*
dorus in glossis. *Pater (in quit) dictus est quod patratione peracta, filium procreet: Patratio est rei veneriæ consum matio.* Lucretius *Vnde pa-*
Et bene patra patrum, Cornutus in hunc *tris nomē*
Persii locum. *fluxit.*

Patranti fractus ocello.

Patranti (inquit) id est consummanti. Patratio est rei veneriæ confectio, vel perfectio vnde & patres dicti eo quod patratione peracta filios procreant, vnde Iuuenalis,



Oculosque in fine patrantes.

Sic enim legendum puto. non vt vulgo trementes, patrare verbum obscœnũ est in veteri glossario patrat μασᾶται, καγαν-φάτως, ὡς ἐτ αἰσχρῶς.

Quas solennitates in seruorum venditionibus fieri obseruauerim, & de quodam Aedi-

lium edicti loco quæ sit mea coniectura.

CAP. X.

EX veterum memoriis accepi, Romanos mancipiorũ quæ venũ daturi essent conditionem, vel sanitatem tituli inscriptione, pilei coronæ-ve impositione, cretę signaculo, ac ipso corporis motu solitos indicare. Titulos serui omnes gestabant, qui venùm ibant in quibus quid morbi, vitiíque cuique esset, quæ conditio inscribebatur. Apud Aulũ Gellium ex Ædilium edicto, hæc verba reperiuntur:

Tituli in seruis venalibus.

Titulus seruorum singulorum, vt scriptus siet curato: Ita vt intelligi rectè possit, Quid morbi, vitiique cuique siet: Quis fugitiuus, Erroue siet, noxaue solutus non siet.

Verba Aedilitij edicti.

Vlpianus l. j. ff. de ædil. Edict aliter Ædilium verba refert, cuius requiro fidem vel ipsius qui detruncatis veterum illorum libris, pandectas compilauit. Sic ergo scripsit Vlpianus. *Qui mancipia vendunt certiores faciant emptores quid morbi vitiique cuique siet, &c.*

Ausim per Genium meum iurare siue vt antiqui per Iouem lapidem, Gellium rectissimè Ædiliũ verba proposuisse, Vlpianum siue Tribonianum immutasse. Venit in mentem huius immutationis causa. Scribendorum forsitã titulorum mos iste obsoleuerat, ac in eius locum successerat, vt venditores eorum certiores facerent emptores, quę in mancipiorum venditionibus declararique ædiles iusserunt, id est quid morbi vitijque &c. Itaque visum est ei quicunque Ædilium edictum sic proposuit, negotiũ istud & tempori accomodare suo. Penes Ædiles cura rerum omnium vænalium erat, & penes eos cognitio, quod nullus adhuc obseruauit. Id ego aliàs fusiùs. Ars serui eius titulo inscribebatur, & id, titulus siue inscriptio dicebatur. Plinius in Epistolis *Est (inquit) homo probus officiosus, litteratus, & ars quidam eius & quasi inscriptio comœdus in qua plurimùm facit*. Veretur Plinius inscriptionem dicere quia de liberto suo loquebatur. Porrò vt titulo vel voce ipsa venditoris, Mancipij status declarabatur, ita qui pileati serui vænales essent, pileo ipso denotabant horum nomine

detecta immutatio eorum qui pandectas condidere.

Inscriptio quid.

Pileus in vænalibus.

venditorem nihil præstare. Rationem huius moris ex Cœlio Sabino iuris auctore vetustissimo didici, quem Gellius ait, hāc eius rei dedisse causam. *Quod (inquit) eiusmodi conditionis mācipia insignia esse in vendundo deberent, vt emptores errare & capi non possent: neque lex vendundi opperiunda esset, sed oculis iam perciperent quodnam esset mancipiorum genus.* Deinde subiicit has Sabini reliquias, *Sicuti antiquitus Mancipia iure belli capta coronis induta vænibant, & idcirco dicebantur sub coronis vænire, namque vt ea corona signum erat captiuorum vænalium, ita pileus impositus demonstrabat eiusmodi seruos vænumdari, quorum nomine emptori venditor nihil præstaret.* Prætereà Trāsmarinorum Mancipiorum, pedes creta notabantur, Plinius. *est & vilißima creta, (inquit) qua circum producere ad victoriæ notā, pedesque transmarinorū aduectorū venaliū denotare instituerunt maiores:* Hæc quoque verba de Claudij libertis, quorum pedes cretatos vocat, ponuntur *vt prætoria quoque ornamenta decerni à Senatu, iubente Agrippina Claudij viderimus libertis, tantumque non cum laureatis fascibus remitti illò, vndè cretatis pedibus aduenissent.* Sic à qui-

Sub coronis vænire

Cretati pedes.

busdam accipiuntur hi Propertij versus, Quos doctissimus & mihi charissimus vir Iosephus Scaliger decus &ornamentum huius seculi, doctè ac enucleatè explicauit.

At quorum titulus per barbara colla pependit
Cœlati medio cum saliere foro:

Putaui aliquando legendum cretati, id viderint docti. Porro à collo pendebat titulus, vt Seneca in controuersiis *nomen tuum pependit in fronte*. Et quod idem eruditissimè docuit, præcone vænales prædicante saltare ac currere soliti erant serui, credo vt sanitate ac celeritate corporis valetudinem significarent, & sic emptores allicerent. *Vaenales saltabant & currebant.*

Verbum munitare Apuleio & Aulo Gellio restitutum: quid sit apud eundem scrutariam facere.

CAP. xj.



Vod Græci de Platone ac Xenophonte vſurpauere, nõ alia ſcilicet quã eorum lingua vſurũ Iouẽ, vel muſas : ſi Græce loqui vellẽt : id ego apud Latinos Plautum atq; Apuleium ſibi vindicare dico, & ſanè qui dixit Apulei aſinum rudere, is neſciuit vnquam quid eſſet latinè loqui. Apuleius igitur Metamorphoſeos lib.iiij. ſic loquitur. *Ego vero quanquam alias ordeum tunſum minutatim, & diutina refectione virulentũ &c.* Illîc ſanè duplex mendum radices egit, quod nos reſtituta veteri lectione ſic extirpamus. *Ego vero quanquã ordeũ tunſũ munitauerim & diutina refectione virulentũ &c.* Codices quidã retinuere munitatim, iurulẽtũ ſe deportaſſe, & in eius locũ virulentũ ſuffeciſſe gloriatur Phlippus Beroaldus. Ego contra legẽdum ſtatuo iurulentum quod interpretor madidum. Sic enim hordeum iumentis dabatur. Auctor Queroli, *hordea* (inquit) *inſectantur fracta & madida, ſpicas nonnulli vorant, &c.* Lucillius apud Nonium.

Error Beroaldi.

Iurulentũ quid.

Cum iurulentas diceret, vini vuas deſignauit,

Iurulentas id est aqua madentes, sicut vi nibuas) ex duobus enim vocabulis vnū facio (vino aspersas & madidas. Itaque Lucillius ait quempiam designasse vini buas cum ab illo iurulentæ peterentur. *Iurulentū quid.*

Munitare verbum est priscum, quod pro manducare vsurpauere veteres. Apud Sext. Pompeium munitio est morsicatio ciborum. Apud Gellium istud verbum vna tantum littera vitiatum, viros crudi-tionis egregiæ ac præsertim Adrianum Turnebum diuexauit, cuius apud me sen tētia & si potior sit, ab eotaniē dissentio. Gellius cap. 24. lib. 2. de veteri quodam Senatus consulto loquens. *In quo* (inquit) *principes ciuitatis, qui ludis Megalensibus antiquo ritu mutitarent.* i. *mutua inter se conuiuia agitarent iurauere apud Coss. verbis conceptis* cap. 2. lib. 18. *quam ob causam Patritij Megalensibus mutitare soliti sint, plebs cerealibus.* Turnebus miratus insolētiam & nouitatem verbi credidit legendum mutitare, quasi mutua inter se conuiuia agitare. Ego vero lego munitare, quo sanè in iis Epulis atque conuiuis quæ ludis Megallensibus & Cerealibus agitarent, tanquam solenni verbo vsi sunt. *Munitio.* *Lipsius in satur. mutitare retinet, sed malè.* *Veteris s. c. ti. mendū sublatum.*

Eodem quoque Apulej libro ſic latronum Antiſtes loquitur, *enimuerò vos bonæ frugis latrones, inter furta parua atque ſeruilia timidiculè per balneas, & aniles cellulas reptantes ſcrutariã̃ facitis*. Quo loco Beroaldus vir non alioquin ſpernendę auctoritatis, perfunctoriam dedit interpretationem. Scrutariam (inquit) facere eſt minutula quæque furtim angulatimque perquirere, nos longiùs repetamus, & curioſius perſcrutemur, quid hęc verba ſibi velint, in quibus profectò ineſt abſtruſior ſententia, quæ Iano Parrhaſio propiùs viſa eſt, ſed nondùm ſatis intellecta. Lucillius apud Gellium.

ſcruta. *Quid & ſcruta vt væneat, ſcrutarius laudat*
Præfractam ſtrigilem, ſoleam improbus dimidiatam.

G. Budæus & Turnebus Galliæ noſtræ lumina iampridem docuerunt ſcruta vilia vaſa eſſe: ſiue friuola, quæ Sexto Põpeio vaſa ſunt futilia quaſſa, quæ Græci γρυτωὶ, ſiue γρυτάρια vocant quorum venditor γρυτοπώλης & γρυττάρης dicitur. Itaque ſcrutariam facere interpretor, hæc vilia vaſa furari; id eſt quod latiniſſimè dicimus conuaſare: Conuaſare inquit.

ſcrutariã facere.

Nonius est omnia furto colligere. Terentius in Phormione,

Aliquid conuasaßem, atque hinc me conicerem protinus in pedes.

Hoc tangit Horatius. Conuasare.

Non sum mœchus ais: Neque ego Hercule fur ubi vasa pretereo sapiens argentea.

Harpax in Plauti Pseudolo.

Hostes viuos rapere soleo ex acie, ex hoc nomẽ mihi est.

P S. Pol te multo magis opinor vasa ahenea ex ædibus.

Scrutariam igitur facere est vilia vasa furari & hęc est nisi fallor vera & ingenua interpretatio.

Vlpiani explicatio in l. aut damnum §. quicunque ff. de pœnis. Quid gesticulatio.

CAP. XII.



Verit Vulpian⁹, in L. aut dãnũ §. quicunque ff. de pœnis vtrum hi, qui in ludũ venatorium damnãtur serui, pœnæ efficiãtur, & respõdet magis esse, vt serui fiãt, *hoc (enim inquit, tã-*


tum distantà cæteris, quod instituuntur venatores, aut Pyrrhicarij, aut in aliam quoque voluptatem gesticulandi, vel aliter se mouēdi gratia. Quodnam sit hoc voluptatis genus, nō docuit adhuc aliquis quem legerim. Ego puto intelligi spurcissimos & fœdissimos illos motus gestusque corporis, quos in Theatris horcistæ, vel Pantomimi exprimerent. Cassiodorus lib. 4. Epistola vlt. de Theatris sermonem faciens, *his sunt, inquit, additæ horcistarum loquacissimæ manus, linguosi digiti, silentium clamosum expositio tacita, quam Musa Polymnia reperisse narratur, ostendens homines posse, & sine oris affatu suū velle declarare.* Idē paulò post subiicit de Pantomimo. *Pantomimo igitur cui à multificaria imitatione nomen est, cum primum in scoenam plausibus inuitatus aduenerit, assistunt consoni chori diuersis organis eruditi, tum illa sensuum manus oculis canorum carmen exponit, & per signa composita, quasi quibusdam litteris edocet intuentis aspectum: in illa leguntur apices rerum: & non scribendo facit, quod scriptura declarauit. Idem corpus Herculem designat, & venerē fœminam præsentat & marem, Regem facit & militem, Senem reddit & iuuenem, in vno credo esse multos tàm vana imitatione discretos.*

Gesticulatio.

Pantomimus.

Hæc ad huius loci intellectum ſatis ſuperque erant. Lubet tamen addere quoſdam Chriſtianorum auctorum locos, quibus nihil æque inuiſum infeſtumque fuit, quam eiuſmodi pudendæ ac inhoneſtæ corporũ figuræ, ad quas ſe hiſtriones componebant, quibus non modo viſus aſpectuſque polluitur, verumetiã animus, ad ipſas quæ in theatris exprimuntur libidines accenditur & inflammatur. Saluianus prodeat primus, qui in his accuſandis quam rationem teneat, vel quò ſe vertat neſcit, dubius ſcilicet ac incertus, quo pacto res impudicas & inhoneſtas, pudicè ac honeſtè accuſare poſſit. *In Theatris (inquit) nihil bonum reatu vacat, quia & cõcuſpicentijs animus & auditu aures, & aſpectu oculi polluuntur. Quæ quidem omnia tam flagitioſa ſunt, vt etiam explicare ea quiſpiam atque eloqui ſaluo pudore non valeat? Quis enim integro verecundiæ ſtatu dicere queat, illas rerum turpium imitationes, illas vocum ac verborum obſcœnitates, illas morum turpitudines, illas geſtuum fœditates, quæ quanti ſint criminis vel hinc intelligi poteſt quod relationem ſui interdicunt &c.* Beatus Cyprianus ſanctiſſimus martyr libro

Verecundia Saluiani in accuſandis fœdis Theatrorum geſticulationibus.



Epiſtolarum ij. ad Donatum adhuc magum *deinde morum quanta labes? quæ proborum fomenta? quæ alimenta vitiorum hyſtrionis geſtibus inquinari? videre contra fœdus iuſque naſcendi patientiam inceſtæ turpitudinis elaboratam. Euirantur mares, omnis honos & vigor ſexus eneruati corporis dedecore emollitur, pluſquam illic placet, quiſquis magis virum in feminam fregerit.* Eius magiſter Tertullianus lib. de Spectaculis Theatrũ libidinis conſiſtorium vocat, & adiicit.

Theatrũ conſiſtoriũ impudicitiæ.

Hoc modo etiam à Theatro ſeparamur, quod eſt priuatum conſiſtorium impudicitiæ, vbi nihil probatur, quam quod alibi non probatur, Ita ſumma gratia eius plurimum de ſpurcitia concinnata eſt, quam Attellanus geſticulator quam mimus (Sic enim lego non minus) *etiam per mulieres repreſentat ſexus pudorem,* (non vt vulgo pudoris ſexum) *exterminans vt facilius domi quã in ſcena erubeſcant.* Diſſertiſſimus & vetuſtiſſimus auctor Arnobius lib. diſputationum ij. *Ideò* (inquit) *vt res ſanctiſsimi atque auguſtiſsimi numinis Symphonias agerent, & fiſtulatorias hic artes, vt inflandis buculas diſtenderent tibijs cantionibus vt præirent obſcœnis, numeroſiter, & Scabillorum concrepationibus ſonoris,*


quibus animarum alia lasciuiens multitudo, incompositos corporum dissolueretur in motus, saltitaret & cantaret, orbes saltatorios verteret, & ad vltimum lumbis & coxendicibus subleuatis lumborum crispitudine fluctuaret. Eiusmodi gestus in honorem Veneris & Liberi fiebant. Vnde Tertullianus eodẽ libro. *Et est plane in artibus scenicis liberi & Veneris patrocinium, quæ priuata, & propria sunt scenæ. De gestu & corporis fluxu mollitia Veneri, & Libero immolant: illi per sexum, illi per fluxum dissoluti.* Id autem Gesticulatio dicebatur & Valerius Maximus de ludis scribens, dixit iuuentutem intentam deorum obsequiis, rudi atque incomposito motu corporum, iocabundam gestus dedisse, vnde hæ Theatrorum impuritates fluxere.

Orbes saltatorios vertere

Liber & Venus scenæ patroni.

Moriones, miriones, Thersites, Orphei, σιμίνοι Panisci, mimarii scurræ, pumiliones præstigiatores, plani Panthali.

CAP. XIII.


Ampridem sunt in delitiis mõstra, eóque venit humanum fastidium, vt nulla placeant, nisi quorum naturæ infesta sit ipsa natura. Deus tuam opem! Quæ portenta quondam nisi Oceano ipso, & flammis expiari posse religio prisca censebat, hodiè pretiosa sunt, in eáque principes cœco atque inconsultò ardore rapiuntur. Atque mehercule postquam prodigiosa visa sunt, humana inuisa fuere. Quid nõ cessas, natura, portenta edere? vel quid non portentosos spiritus iisdem includis corporibus? His sanè quibus arrident insolentes figuræ, quo sibi placeant magis, opto vt tales quales amant & mirantur formas sortiatur. D. Augustus vt scribit in eius vita Suetonius Tranquillus id genus animantia planè abhorruit. Suetonij hæc verba sunt. *Nam pumilios atque distortos, & omnis generis eiusdem vt ludibria Naturæ malíque ominis abhorrebat.* Iureconsulti eos nõ esse liberos arbitrãtur, qui contra formam humani generis con uerso more procreantur, puta monstrosa aũt prodigiosa l. non sunt ff. de statu

Non sunt liberi qui contra formam humani generis nascuntur.

hominum. Et sanè tantum antiquis in suo genere placuit perfecta & absoluta natura, vt claudum ferre legem mali, ominis ac prodigij pessimi loco olim fuerit. Itaque Marcus Tullius de quodam Tribuno pleb. qui legem de ambitu promulgauit εἰρωνικῶς sic loquitur primo epist. ad Atticum. *Lurco autem. Tribunus plebis, qui magistratum simul cũ lege Aelia iniit, solutus est & Aelia & Fusia, vt legem de ambitu ferret, quam bono auspicio claudus homo promulgauit.* Sic Æthiopi, sic Eunucho mane domo exeunti occurrere inauspicatum omen erat. Multa huius generis exempla obseruauit Ex Luciano Appiano, Plutarcho, Xenophonte vir egregiæ eruditionis Ioan. Brodæus Miscell. 4. Nec solum membris suis absolutus quęrebatur, qui vel legem promulgaret, coloniam duceret, exercitum & populum lustraret, verũetiam qui boni nominis esset, vt de quodam Lucrino Festus refert. Apud Suetonium pumilij sunt breui & humili corpore homines, paulum supra terram extantes, distorti vero, qui sunt distorti oris vt Miriones, vel qui membra quædam distorta

Claudus legem ferens mali ominis loco habitus.

Pumilij.

Distorti.

Miriones. habēt, Miriones apud Tertullianum aliter accipiuntur, ' oc loco. *Solent quidem etiā isti miriones de q..būſdā perſonis ab hæreſi captis, ædificari in ruinā.* Miriones hîc ſunt, non quos populus oris diſtorti cauſa miratur, ſed qui ſingula mirantur, & ad *Moriones* omnia attoniti ſtupeſcunt. Moriones, fatui ſunt atque inconditi homũciones qui ridicularia fundendi cauſa ſunt in pretio. Plinius epiſt. 17. epiſt. 7. ad Genitorem. Lampri dius in Alexandro, *Nanos & nanas*, inquit, *Moriones, & vocales exoletos & omnia acroamata & pantominos po-* *Scurræ.* *pulo donauit.* Hîc acromata ſunt mancipia quę feſtiuis ſermonibus, & exquiſitis ſalibus audiētiũ aures demulcerēt. Ita Clodius à M. Tullio Acroama dicitur, huiuſmodi ſerui Scurrę, & Mimarij dicuntur, Iulius Capitolinus in Vero ſic ait, *adduxerat ſecum & fidicinas, & tibicines, & hyſtriones, ſcurraſque mimarios, & præſtigiatores, & omnia mancipiorum genera quorum Syria & Alexandria paſcitur voluptate, prorſum vt videretur bellum, non Parthicum, ſed hiſtrionicum confeciſſe.* Scurræ quoque Copreæ dicebantur, vnde improbus illorum Iocus apud Lactantium, qui Cyprianum Co-

Coprianum vocitabant, quod vt puto intellexit adhuc nullus. Preſtigiatores vero ſunt,qui quibuſdam preſtigiis illuderent oculis,ſicque mira facere viderẽtur.Hos Athenæus ϑαυματοποιοῦς vocat lib.Diphnoſophiſtar xiiij,& quos impoſtores dicimus πλάνους.Et plani ſunt vt interptetatur vetus gloſſarium Græcolatinum erronei, erratici, & ſeductores ſiue vt idem Athenæus, qui corpore ad ſpectantium libidinem & voluptatem abuterẽtur.Vt apud eundẽ Athenęũ,de quodã Cephiſidoro Dyoniſius Sinopœus ait. Κηφισοδώρον φυσὶν ἐπικαλούμενον πλάνον τινὰ ἐν ἀθήναις γένεσθαι τὴν σχολὴν, εἰς τοῦτο τὸ μέρος τοῦ βίου κατασχρώμενον τοῦτον εὐτυχόντα πρὸς τὸ σιμον ἀνατρέχειν ἢ συνερκαθεῖναι τῇ ἐπὶ τῆ βακτηρία i. quendam inquiens planum cognomento Athenis fuiſſe, qui in hanc vitę partẽ otio abutebatur,hũc incidentẽ inquitad ſimum,ſiue ciliconem accurrere, ac ſupęr baculo deſcendere. Ab illo vero ſicųt plani dicti ſunt,ſiue vt àdiſcurrendo,vt Planetæ ſiue ab illo quem Acrõ interpres Horatii ait,fingere ſibi crus fractum eſſe ſolitum, vt vehiculis alienis efferretur,cui poſtea cũ verè fregiſſet creditũ non fuit, ſic ex illo Pantaleonte de

Iactantij locus illuſtratus de nomine D.cypriani.

Præſtigiatores.

Plani.

Cephiſodorus planus.

quo refert multa ex Theogneto & Chrisippo philosopho, Penthali forte appellati sunt. Sed malo ex verborum coniunctione interpretari. *Vet⁹ glossarium* πένταθλος. *Quinquercius. Sextus Pompeius Pentalum, inquit, Antiqui dixerunt quinquartium, id autem genus exercitationis ex iis quinque artibus constat, iactu disci, cursu, saltu, iaculatione, luctatione.* Eadem mancipia quæ audientes persunderent voluptate Greces siue Alexandrinos, ab illo Homerico blaterone Thersitas appellasse, ex Clementis Alexandrini lib. Pædag. vlt conijcio,

Thersites. καὶ συνανακλίνονται τοῖς φεσοῖς παίζουσαι σινιύνοις τερασιζαιώμεναι: καὶ τὸν μὲν Θερσίτην ἀκουούσαι, γελῶσιν: ἄυται δὲ πολυτιμήτους ὠνούμεναι Θερσίτας, &c. & accumbunt quidem vna cum acuto capite monstris, siccinnis portentis lætantes, & rident quidem cũ Thersitem audiunt: Ipsæ vero thersitas maximi pretij ementes &c. Et sane thersites genus erat Mancipij Alexandrini, quo genere oblectatum fuisse verum Capitolinus dixit.

Orphei. Et velut ii ab Homerico thersite appellati sunt, sic viri fortes à Catone,

noui & recens ad honores Euceti romu-
muli, Orphei, qui in Leporario siue θηρο-
τροφεῖῳ varia animātium genera buccina
cōuocabāt, ex Orpheo antiquissimo Poe
ta, cuius cātu oblectatas feras, eum sequi
solitas finxit mendax Græcia? Et sic eos
appellari scripsit M. Terentius Varro de
re rustica lib. iij. cap xiij. Sic Petronius
Annibalem, pro ferocissimo & capitali
hoste, Cyclopem pro Archipyrata, & a- *Tanaquil*
lij auctores Spartacum, pro famoso latro *pro uxore*
ne, Tanaquilem Sidonius Appollinaris & *Nerio pro*
Ausonius pro egregia vxore, & Matref. *noua nu-*
Persius Nerionem pro noua nupta, *pta.*

Nerio (inquit) *iam ducitur vxor*,

Sicinnos Satyros esse, & genus Satyricæ *Sicinni.*
saltationis esse dicunt nonnulli, in quo-
rum eo sententiam. Ita apud Suetonium,
qui Paniscorum habitu, i. Satyrorū, per
antra & cauas rupes prostituerentur, in
fœdissimo Caprearum secessu, Tyberio
in deliciis erant. Vereor ne potior sit eo-
rum ratio, qui huiusmodi monstris oble-
ctantur, quàm mea qui in his cognoscen-
dis, abutor tempore, labore atque inge-
nio.

Quæ sint apud Diuum Marcum communes manus, quid apud Hæbreos commune.

CAP. VIIII.



Orsitan nihil commune magis est, quam id quod de vocabulo, commune & verbo communicare dicturus sum, dicam tamen quid ea de re didicerim. D Marcus capite septimo.

Locus D. Marci illustratus.

καὶ ἰδόντες τίνας τῶν μαθητῶν αὐτοῦ κοιναῖς χέρσι, ἔστιν τοῦτ' ἀνίπτοις, ἐσθίοντας ἄρτους, ἐμέμψαντο.

Hîc à Pharisæis Apostoli accusantur, quod communibus, id est illotis manibus ederent, quod Mosaica lege iuberentur manibus, & vlnis aquam dare, antequam cibum sumerēt. Elegāter ille communes manus. Hebræis enim quicquid turpe, sordidum atque impurum erat, id commune dicebatur, ea credo ratione, quod quæ publica & cōmunia sunt, sordescere videantur. Sic apud D. Mathæū soter ait, οὐ τὸ εἰσερχόμενον εἰς τὸ στόμα κοινοῖ τὸν ἄνθρωπον. ἀλλὰ τὸ ἐκπορευόμενον ἐκ τοῦ στόματος, τοῦτο κοινοῖ τὸν ἄνθρωπον.

Communicare.

Vetus interpres communicat hominem dixit, Erasmus impurat. Vetus interpres Hebream dicendi formulam secutus est, Erasmus latinam. *Septi.* Tertullianus id imitatus est. lib. de Patientia, in quo communicare pro coinquinare vsurpauit. *Nō vasculorum (inquit) inquinamentis, sed eorum quæ ex ore promuntur communicare.* Quod apud eundem Tertullianum ante me obseruauerat B. Rhenanus, vir cui in his litteris parem Germania non tulit.

Quid apud antiquos sint vngulæ, quid Scorpiones, confirmatum quod impp. scripsere verbera ingenuis esse aliena l. viij. *C. de Repudijs, virgæ in Iudiciis episcopalibus vsurpatæ, flagrorum & virgarum differentia.*

CAP. XV.

Suppliciorum vicissitudines.



T ceterarum rerum, ita suppliciorum sunt vicissitudines quędam. Quæ prisci hominum sceleratorum puniendorum gratia & exempli terrorisque ergò inuenere, ea iandudum obsoleuerũt, receptaque sunt in eorum locum longè dissimillima. Itaque cum legimus in veterum monumentis vngulas, scorpiones, cęteraque huius modi, supplicii nouitate ac ignorantia hæremus attoniti. Vngulas soleo interpretari ferrum, in vngues ferarum compositum & efformatum, quo ad eliciendam ex reis veritatem, apparitores Iudicum siue lictores latera perfoderẽt atq; persecarent. Constantinus Imp. dominorum in seruos atrocius sæuientium crudelitatem legẽ cõercens, herũ ipsum homicidij reum esse vult *qui telo (inquit) vsus, lethale vulnus inflixerit, aut suspendi laqueo præceperit, vel iussione tetra præcipitandũ duxerit, aut veneni virus infuderit, vel dilaniauerit pœnis publicis, corpus ferarum vnguibus latera persecando &c.* Posset hic locus accipi, de his qui damnantur ad bestias quorum artus ferarum vnguibus dilaniantur, faucibus deuorantur: sed exploratum est

Vngulæ.

auctores priscos cum vngulas (supplicij id genus) denotarent, solitos adhibere latera, ijs enim vngulis latera tantùm dissecabantur. Has Cōstantius imp. & Iulianus Cæsar vngulas latera sulcantes, rectissime vocant. *Sit (inquiunt) equuleo aeditus, vngulisque sulcantibus latera perferat pœnas proprio dignus facinore.* Constantinus l.i. de Emend seruor. C. vestigia ferarum dixit. Diuus Hyeronimus ad Innocentium de muliere septies icta. *Neque multo post, cum liuidas carnes vngula cruenta pulsaret, & sulcatis lateribus dolor quæreret veritatem, infœlicissimus iuuenis volens compendio mortis longos cruciatus eu tare & c.* Prudentius v. c. variis locis huius supplicij meminit. Et vngulas elegantissimè rasiles scopulos dixit, sic apud Tertullianum accipio scopulos lib. de anima. *Si ceterorum quoque scelerum mercedem cogitamus, patibula, viuicomburia & culleos, & vncos, & scopulos.* Ammianus Marcellinus lib. xiiij. vnguibus mulcatos dixit. Isidorus in glossis vngulæ (inquit) dictę sunt quod effodiāt. Id genus quoque fidiculæ dicebātur, & sic vngulas interpretatur vetus Glossarium

Rasiles Scopuli. *Fidiculæ.*

ὄνυχες οἱ εἰς τὰ βασανιστήρια. Fidiculæ. Idem Iſidorus hāc de Scorpionis ſignificatione explicationem dedit. *Virgæ ſunt ſummitates frondium arborum, quæ dictæ ſunt quod virides ſint, vel quod vim arguendi habeant, quæ ſi lenis fuerit virga eſt, ſi certe nodoſa, vel aculeata, ſcorpio rectiſsimo nomine dicitur, quod arcuato vulnere in corpus figatur.*

Scorpio genus flagri

De cauſa Scorpionis ſiue nepę ſic in Scorpiaco loquitur Tertullianus. *quæ cauda erit quodcunque de poſthumo corporis propagatur, & verberat, perinde vt ſcorpij ſenes illa nodorum venenata intrinſecus venula ſubtilis, arcuato impetu inſurgens, hamatile ſpiculum in ſummo tormenti ratione reſtrigens &c.*

Scorpio bellicum fuit tormentum de quo Ammianus Marcellinus lib. 23. Fit mentio huiuſmodi flagri quod ſcorpionis obtinuit appellationem, in Martyrologio quam frequentiſſima. Ieroboām regum lib. iij. cap. xij. ex iuuenum conſilio hanc ad populum orationem habet, ὁ πατήρ μου ἐπαίδευσεν ὑμᾶς μάστιξιν: ἐγὼ δὲ παιδεύσω ὑμᾶς ἐν σκορπίοις. id eſt vt Hieronymus tranſtulit. *Pater meus cecidit vos flagellis: ego autem cedam vos ſcorpionib.* Præterea vt ex Romanorum ſcri-

ptis didici loris & flagris cedi, planè seruile atque illiberale fuit. Imp. in l. viij. c. de repudiis aiunt, iustas habere diuortij causas mulierem, *si se verberibus (inquiũt) quæ ingenuo aliena sunt, afficientẽ maritũ probauerit*. Macer. Tribunus pleb. apud Sallustium sic ait. *Verum nescio quæ vos torpedo occupauit: quia neque gloria mouemini, neque flagitio: cunctáque presenti ignauia mutastis, abundè libertatem rati quia tergis abstinetur*. Itaque festiuissimum apud Plautum mãcipiũ, tergum suum ostreatum vocat, quia vt in eiusmodi animalibus magna est ludentis naturæ varietas, sic eius tergum vlcerum & plagarum varietate distinctum, ostreæ speciem præferre videretur. Posthumius Iunior siuè M. Florus decl. iij. sæuiat denique „ in tergà, verberibus exigat seruilem pla- „ garum patientiam. Valerius Maximus virgarum verbera contumeliosa dixit. Terentius in Adelphis.

Flagris cædi seruile erat.

Tergum ostreatũ.

Nam si molestus esse pergis, iam intrò arripere atque ibi
Vsque ad necem opperiere loris S. loris liber Æ. sic erit.

Indignatur homo liber, ac ingenuus cũ

flagrorum minas ſibi videt inferri. Æſchino ſeruilia minitāti ſupplicia, obiicit libertatem quam inhumanitêr ac ſeruilitèr accipere capitale ferè fuit. Ex quibus cauſis liber fuſtibus cædebatur, ex his ſeruum flagellis cædi Macer ſcripſit l. x. ff. de pœnis: Multa eius generis quæ apud antiquos extant ſciens pretermitto. Illud eſt maximè notandum quod D. Auguſtinus ad Marcellinum comitem ſcripſit de virgis, quas ex eo ſolùm loco veritatis eruendæ, & queſtionis habendę cauſa adhibere didici. Cauſa xxiii. q. v. c. circuncelliones. *Noli (inquit) perdere paternam diligentiam, quam in ipſa inquiſitione ſeruaſti, quoniam tātorum ſcelerum confeßionē, non ex tento aculeo non ſulcātibus vngulis, non vrentibus flammis, ſed virgarum verberibus eruiſti: qui modus correctionis & à magiſtris artium liberalium, & ab ipſis parentibus adhibetur, & ſæpè in iudicijs ſolet ab Epiſcopis adhiberi.* Quod ſcribit Auguſtinus in Epiſcopalibus iudiciis virgas adhiberi id patet ex lxxxvi. diſt. C. non liceat c. v. q. v. c. illi. & xlv. diſt. c. cum beatus. Sic ex Philone grauiſſimo & ſanctiſſimo auctore didici, olim Alexandriæ Ægiptios flagris cedi

Virgæ apud Epiſcopos in queſtionibus vſurpatæ.

Alexandrinos virgis: Eius igitur hæc verba extant in libro contra Flaccum Ægipti presidem, quæ ego latina dabo. *Est inquit in vlla vrbe flagrorum differentia, pro eorum conditione qui cæduntur, Aliter Aegiptij flagellantur ab aliis, Alexandrini vero virgis cæduntur ab Alexandrinis lictoribus quos vocant Spathephoros. Hunc morem & in nostris hominibus seruarunt superiores præsides & ipse quoque Flaccus primis Magistratus sui temporibus. Est certe & in pœna paruum quoddam solatium, & in cruciatu remißionis nonnihil, quandò res ita vt sunt sinuntur, nec augetur maliciose molestia, sed cum accidit nihil æquitatis relinquitur. An núm igitur fuit iniquißimum, cúm de plebe Alexandrina Iudæi liberalibus & ciuilibus flagris punirentur, quando viderentur commeriti, Magistratus, Senatoresque honoratos vel ipsis appellationibus hac parte inferiores habent suis subditis, & exequari. Aegiptiorum obscurißimis maximorum flagitiorum pœnas luentibus corpore.*

Virgarũ & flagrorum differentia.

Veram esse & ingenuam Modesti lectionem, quam Baptista Pius emendare conatus est.

CAP. XVI.



Bsit vt alicuius manes lacessamus. Ita est in litterarum studiis natura mihi comparatum, vt libenter ea legam vel etiam laudem, quibus conscribendis docti ac præstantes viri insudauere, errores verò tantum agnoscam non culpem. Si aliquoties morosiùs quàm fert natura, in alicuius lapsum feror, (credite) id non tàm eius contra quem scribo, minuendæ, quam mitigandæ auctoritatis causa facio. B. Pius vir fuit non ineruditus, sed inops iudicij, & miseros homines dixit, vir quispiam hac ætate harumce musarum princeps, qui sub tam lentis maxillis manderent, quod Suetonius de Tyberio, D. Augustum vsurpasse dixit. Lubet igitur subiicere Modesti verba siue eius qui librum hunc de re militari

ſcripſit, qui inter M. Tullij monumenta ineptiſſime relatus eſt, quem Pius emendare conatus eſt prorſùs infœliciter. *Equitum alas dicunt, ab eo quod ad ſimilitudines alarum ab vtraque parte protegant acies quæ nunc vexillationes vocantur, a velo quia velis hoc eſt flãmulis vtantur.* Scribe flammeolis inquit Pius, eſt enim flãmeum velum, & per diminutionem flammeolum quo nubentes tegebantur boni ominis cauſa. Dum vrceum facere cogitat Pius amphoran finxit manus: Dum errorem tentat extirpare, ſeuit errorem, id erit ipſi in expedito, qui legerit Georgi Cerini hæc verba ὅτι βιξιλατίονες οἱ ῥωμαῖοι ἱππεῖς καὶ βίξιλα παρὰ πετάσματα ἐκ φυρφύρας καὶ χρυσοῦ εἰς τετράγωνον σχῆμα πεποιημένα ταῦτα ἐξαρτῶντες ἐπὶ μακρῶν δόρατω κύκλῳ, παραπορευόμενοι τῶν βασιλέων, κατασκέπουσιν αὐτὸν. ἔσω δὲ ταῦτα λεγόμενα φλάμουλα. id eſt Romani equites appellantur vexillationes, & vexilla vela ſunt quadrãgula forma, ex auro & purpura contexta, & longis contis ſuſpenſa, circa regem geſtant, eumque tegunt. Sunt autem fortè ea quæ flammula vocantur. Renatus Vegetius lib. 2. *Equitum alæ dicuntur, inquit, ab eo quod ad ſimilitudinem alarum, ab*

Modeſti locus à vulnere Pij vindicatus.

Flãmula

vtraque parte protegant acies: quæ nunc vexillationes vocantur, a velo, quia velis hoc est flāmulis vtuntur. Idem lib. iij. cap. v. *Muta signa sunt Aquilæ, Dracones, vexilla, flammulæ, rufæ primæ &c.* Hi loci Modestosatis patrocinantur, verbum non amplius addam.

Seneca emendatus in libro de consolatione ad Albinam matrem.

CAP. XVII.



QVi literas amat, & Senecam amat, cui cordi est virtus, & digna viro libertas, & animi constātia fortitudoque, huic & cordi est Seneca. Et quidem qui accurratissimè Senecæ monumenta legerit, erit apud litteratos in honore ac pretio, qui concoxerit summj boni ducet loco, in rebus humanis integrè ac gloriosè versari. Hic vt hac ætate cum nitore suo prodiret in publicum, viri diligentia & ingenio pręstantes, nauarunt operam, nec pręstare omnino potuere. Et quia quasi collatis signis docti omnes ad exigendam l. bris barbariem con

Seneca laus.

currunt, ego quoque cum ipsa decernã, & nunc reciperatoris officio fungar, res ablatas raptasque restituendo, & vnicuique suum reddendo. Restituatur igitur Senecæ titulus suus, vt in M.scripto meo est. *L. Annei Senecæ liber ad Helbiam matrem suam de consolatione filij sui.* Ex libro ipso apparet hunc esse veterem & naturalem, non recentem aut adoptatum titulum. Deindè hic locus putidè ac turpiter corruptus est. *Vt antiquiora quæ vetustas obduxit transeam, Phocide relicta Graij qui nunc Massiliã colunt, prius in hac insula consederunt: ex qua quid eos fugauerit incertum est, vtrum cœli grauitas, an præpontis Italiæ conspectus, an natura impetuosi maris. Nam in causa non fuisse feritatem incolarum, eo apparet quod maximè tunc trucibus & inconditis Galliæ populis se interposuerunt.* In manuscripto meo legitur, *cum curibus*, ego ex ipso lego, tùm curibus, & sic legendum manifestissimè probat Trogi Pompei Epitome lib.xliij. quæ ipsam historiam breuiter perstringit his verbis. *Temporibus Tarquinij ex Asia Phocensium iuuentus, ostio Tyberis inuecta, amicitiam cum Romanis iunxit, inde in vltimos Galliæ si-*

Locus eiusdem emẽdatus.

nus nauibus profecta Masiliam inter ligu-res & feras gentes Gallorum condidit. Quirites à Curibus dictos ignorat nullus, qui Reipublicę Romanæ crementa, & incunabula nouerit. Quod ait Seneca Phocenses se curibus & inconditis Galliæ populis interposuisse: Hoc est quod Trogus ait primo se Romanis iunxisse deinde in vltimos Galliæ sinus profectos Massiliam condidisse. Nisi mauis legere *Tum liguribus.* Vt Trogus dixit *inter ligures & feras gentes Gallorum.* Vna ex his lectionib. ingenua est quàm afferam nescio. Infrà idem Seneca. *O fortunatiorem Marcellum (inquit) eo tempore, quo exilium suum Bruto approbauit quam quo pop. Romani consulatũ rexit. In veteri, Bruto exprobrauit quam Reipub. consulatum.* Malo vt legatur approbauit, Rexit suppositium verbum est, & idcirco relegandum. Deinde: *Minus beatè viuebat dictator noster qui Samnitum legatos audijt cum vilissimum cibum in foco ipse manu sua versaret, illa qua iam sæpe hostem percusse rat lancemqve in Capitolini Iouis gremio reposuerat.* In quibusdam libris lanceam, in meo laureamque rectissimè. Quoties victoriam publica lætitia sequeretur imperatores

Alius eiusdem locus correctus.

peratores

peratores pro more, Lauream in gremio Capitolini Iouis ponebant, & laureatas litteras mittebant. Pacatus Drepanus in Panegerico Theodosio A. dicto de eodem Fabritio & priscis imperatoribus sic loquitur. *Curij, Coruncani, Fabritij, ne virtus quiete languesceret, depositis in gremio Capitolini Iouis laureis, viri triumphales rusticabantur.* Trãquillus in Domitiano. *De Sarmatis lauream modo Capitolino Ioui retulit* Plinius maior cap. xxx. lib. xv. de lauro sic loquitur. *Romanis precipuè lætitiæ, victoriarumque nuntia additur, litteris & militũ lanceis pilisq; , faces imperatorios decorat, ex his in gremio Iouis opt. max. deponitur, quoties lætitiam noua victoria attulit.* C. Plinius in Paneg. Traiano dict. *Allata erat ex Pannonia laurea dijs, vt inuicti Imperatoris exortum victoriæ insigne decoraret. Hanc imperator Nerua in gremio Iouis collocarat &c.* Paulo post ait Traiani adoptionis die, laurum Capitolino Ioui dicatam fuisse.

Imperatorum Constantinopolitanorum mos in sumendo de captiuis hostibus supplicio. Asino imponi, & de tondendi infamia.

CAP. XVIII.

DOcuerunt iampridem in his studiis principes viri, hostes populi Romani, triumphantium Imperatorum currus secutos, pro more abripi in carcerem, ibique lictoribus mãcipatos trucidari cõsueuisse. quo ad Roma, imperii caput & sedes fuit, hic mos inualuit; atque etiam vetustiorum consuetudinum remansere quædam velut imagines atque vestigia. At statim vt in Bizantinam ciuitatem imperij domicilium, & insignia transfusa sunt, successitque occidentis honori Oriens, Romanorum paulatim mores euanuere, ac in peregrinos ritus transiere. Itaque quantum mos sumẽdi de hostibus supplicium, qui apud nouissimos imperatores obtinuit, ab illo prisco & vere Romano desciuerit, non potest euidentiùs explicari quàm relatione. Solitos eos imperatores cap-

tum hostem in pauimento distendere. Eius ceruices insultando côculcare, pedibus manibusque malè acceptum & lacerum, asino imponere, in hæc verba prorumpentem, ἐλέισον μὲ, ἀλητῶς βασιλεῦ Eoque modo de Thoma exactas maiestatis pœnas, à Michaele Balbo, ex Georgij Cedrini annalibus didici. Quid esse potest magis contumeliosum, quam hosti in pauimento distento crura manusque etringendo illudere? Ignominiosum quam Asino imponere? Miserabile quam cogere tam miserãdis verbis salutem deprecari, hostis fortunam agnoscere, suę velut nuntium & repudium mittere? Agathias lib. historiarũ iiij. *Rusticus & Ioannes Cubazis interfectores (inquit) mulis impositi publice circunferuntur præcone clamante, vt singuli leges vererentur, & singuli innoxio sanguine abstinerent.* Procopius in Vandalicis ait Valentinianum Imp. Ioanni qui Romæ purpuram sumpserat dextram precidisse, Asino incidentem circunduxisse & in hyppodromum coniecisse. Appianus in Mithrid. scripsit Mithridatem, Manium Attilium Imperatorem Romanorum captum Asino impositum, Per-

Imperatorum Constantinopolitanorum mos in exigendo de hostib. supplicio.

Ignominiosum Mulis imponi & per vrbẽ vehi.

gamum duxisse, proclamante præcone *Ecce Manius*. In tripartita historia cap. IX. vj. lib. legitur de Georgio Alexādriç pontifice, Alexandrinos eius cadauer ignominiæ causa asino impositum, per vrbem traduxisse, deinde flammis consumpsisse. Apud Stobæum, Nicolaus qui mores gentium scripsit, apud Pisidas adulterij cōuictum, ait vnà cum muliere asino insidentem, per vrbem circunduci per aliquot dies. Apud Cumęos, vt Plutarchus in quæstionibus Græcorum scripsit, mulier adultera, in forum deducta saxo imponebatur, dein infamiæ causa asino per vrbem vehebatur, & in idem saxum rursus exponebatur. Idcirco eiusmodi ignominiam Cumæi ὀνοβάτιν dixerunt. Iulius Pollux ὀνοβατεῖν esse dixit cum asini equas saliūt. Atque, vt infamiæ causa asino imponere sic quoq; caput radere consueuisse, ex eiusdem Cedrini historiis didicimus. Extant variæ Imperatorum constitutiones apud Constantinum Hermenopulum in πρόχειρων libris, aliosque auctores, quibus id supplicij siue potius infamiæ genus, variis criminibus adhibetur. Apud Romanos promit-

Caput radere.

tere capillos, ac nutrire comam, neque ingenuum, neque pudicum decebat, & qui mittebatur manu, caluus fiebat & pileum capiebat: Rei capillos promittebant, mulieres reæ sibi precidebant. Qua de re sic Sidonius Apollinaris in Epistolis scripsit, loquens de quodam delato re. *Quorum (inquit) dolore lætatur, pascitur fame, precipue pulchrum arbitratus antè turpare, quam punire damnandos. Crinem viris nutrit, mulieribus incidit: è quibus tamen si rara quosdam venia respexerit, hos venalitas soluit, illos vanitas, nullos misericordia.* Verumtamen senescente iam Imperio Romano, priscisque sublatis ferè omnibus moribus, tonderi ac radi ignominiosum fuit. Apud Hæbreos id quoque infame habebatur. Quo loco ad Hierusalem *Dominus dixit, rade & detonde te delicatorum tuorum causa,* adnotauere Theologi veteres, ac interpres Octateuchi nitidissimus, Procopius Gazæus Sophista, tonsuram ignonimiæ ac luctus inditium fuisse: Apud Græcos lugentes, precisis crinibus funus prosequebantur. Ex Nicolai monumentis de moribus gentium refertur apud Stobæum, eum qui no-

Promittebant antiquitus rei capillos.

Apud Romanos mulieres reæ capillos precidebant.

Tonderi ignominiosum.


Precisis crinibus funus prosequi.

farium ac scelestum aliquod facinus perpetrasset, Indorum regem tonderi iubere solitum. Apud Germanos adultera crinibus accisis, coram propinquis expellebatur domo, ac per vicum verbere agebatur, vt Cornelius Tacitus scripsit. Quondam apud Francos indicium libertatis capilli fuere, atque capillos amittere pro libertatem amittere, Sidonius Apollinaris dixit, lib. Epistolar. ij. *Si nullæ quantum rumor Anthemij principis opes, statuit te auctore nobilitas, ceu patriam dimittere, ceu capillos.*

Capilli apud Francos indicium liberatis.

Variæ coronarum species & vsus ex Tertulliani libello de corona militis, emendatus eiusdem libri locus vnus.

CAP. XIX.



Ideo à scriptoribus nostris diuinam legem obseruari, qua iubetur agrorum fruges ita legi à dominis, vt semper spicilegium relinquatur. Vtrùm id vertam vel eorum ignorantiæ, vel fastidio planè ignoro. Illud teneo neque cuiusquam auctoris vitia, neque virtutes à quoquam ita notari

posse, quin non permulta supersint posteritati, quæ eius ingenij aciem effugerint. Nullus est intactus auctor, nec tamen prærepta vel imminuta videri potest scribendi materia. Id mihi in Christianorū eruditissimo scriptore Tertulliano visum est verius, in cuius etsi lectione, tanquam in mustaceo laurum quæsierint plurimi: adhuc tamen multa restant quibus lectionis molestiam eruditus lector compensare possit In ipsius libello de corona militis, hæc de vsu coronarum notaui. Ille ex Homero imprimis ait cœlum syderibus coronatum esse *Præfabitur quidem*, inquit, *Claudius etiam cœlum Syderibus apud Homeri carmina coronatum esse*. Plinius nullas antiquitùs nisi Deo coronas tribui fidem facit, & eam ob causam Homerum eas cœlo tantùm & vniuerso prælio ascribere. lib. 21. cap 5. Idem. *Nam & mortuorum* (inquit) *est ita coronari*: solebant enim in funeribus coronas adhibere. Quibus mod⁹ lege 12. Tab. datus est. In quibus Tabulis, in ea parte qua de iure sacrorum agitur, quæ fere tota in solennibus funerum occupatur, sic scriptum est.

Cœli corona.

Mortui coronati efferebātur.

Illustratæ leges 12. tab. *Neue longæ coronæ, neue acerræ adhibeantur.*

Præterea qui in publicis certaminibus coronam adeptus esset, ei mortuo iubetur imponi.

Qui coronam parit, ipse pecuniaue eius virtutis ergò arguitor, ipsique mortuo, parentibus eius, dum intus positus erit forisque feretur, sine fraude imposita esto. Corona igitur vt videtur velle lex 12. tabularum virtutis argumentum erat. Clemens tamen Alexandrinus socordię atque ignauiæ signum esse dicit, & idcirco mortuos & statuas coronari. Eius hæc verba sunt lib. Pæd.ij.cap.8.

Corona Socordiæ signum.

ἀοχλήτου δὲ ἀμεριμνίας ὁ στέφανος σύμβολον, ταύτῃ καὶ τοὺς νεκροὺς καταστεφανοῦσιν: ὧ λόγῳ καὶ τὰ ἐίδολα ἔργῳ προσμαρτυροῦντες αὐτοῖς τὸ εἶναι νεκροῦς.

Minutius Fœlix in Octauio. *Nec mortuos coronamus*, inquit, *ego vos in hoc magis miror, quemadmodum tribuatis exanimi aut sentienti faciem, aut non sentienti coronam, cum & beatus non egeat & miser non gaudeat floribus*. Plinius ait coronas deorum Lariū, publicorum priuatorumque sepulchro-

Corona quibus sacræ essent.

rum, maniumque honori consecrari. Lares coronari testatur M. Cato de villicæ officiis. *Kalendis, idibus*, inquit, *nonis festus dies cum erit, coronam in focum indat per eosdem dies, lari familiari pro copia supplicet.* Plautus in Trinummo. *Coronare lares.*

Larē corona decorari meū volo, Vxor venerare

Idem Tertullianus ipsas fores, ipsas hostias, & aras, ipsos ministros & sacerdotes coronari auctor est. *At enim Christianus, ait, nec ianuam laureis infamabit si norit quātos deos ostiis diabolus affixerit, Ianum à Ianua, Limentinum à limine, Forculum & Cardam à foribus & cardinibus, & Apud Græcos Thyræum Apollinē & Antelios dæmones.* *Fores coronatæ.* Idē Tertullianus ait Ianuas coronari solitas, sicut Lupanaria, quæ elegantissimè vocat consistoria libidinum publicarum lib. ad Vxorem ij. *proceddet*, inquit, *de ianua laureata & lucernata, vt de nouo consistorio libidinum publicarum*. *Lupanaria coronata.* Idem in Apologetico, *cur die læto non laureis postes adumbramus? nec lucernis diem infringimus. Honesta res est solennitate publica exigente, inducere domui tuæ habitum alicuius noui lupanaris.* Aras herbis frōdibusque redimitas fuisse satis testatur hic Terentij locus in Adelp. *Aræ frondibus redimitæ.*

D accipe à me hunc ocyus
Atque ante ianuam nostram appone M. obsecro
Humine? D. ex ara hinc sume verbenas tibi,
Atque eas substerne.

Verbenæ. Donatus notat verbenas dici omnes herbas frondesque, quibus aræ coronarentur, sicut Acro Hellenius in hunc Horatii locum.

Ridet argento domus, ara castis
Vincta Verbenis, auet immolato
Spargier agno

Propertius,

Inde coronatas vbi thure piaueris aras.

De Sacerdotum coronis Claudius scripserat, cuius monumenta vetustas absumpsit, *Habes* (inquit Tertullianus) *omnes collegiorum Sacerdotalium coronas apud Claudium.* Veteres quoque solennes liberi dies magnam appellauere coronam. *Sed & alias* (inquit) *Liberum principem coronæ plane laureæ, qua ex Indis triumphauit, etiam vulgus agnoscit, cùm dies in illum solennes magnã appellat coronam.* Milites etiam donatiuo accepto coronabantur. Hinc illud, *expungebantur in castris milites laureati.* Et illud. *Eadem laurea in donatiui dispensatione denun-*

tiatur. Cæterum illud quàm redolet priſcas ſuperſtiones & aniles planè præſtigias? Quis vel ſine deteſtatione, vel graui cachinno audire poterit Romanos qui ceruicibus omnium gentium impoſuere iugum, quorum vtamur legibus & inſtitutis, eò ſtuporis & inſanię deueniſſe, vt latrinas, lupanaria, piſtrina, carceres, ludos, amphitheatra, ſpoliaria & libitinas ipſas coronis honorarent. Verba hęc ſunt Tertulliani. *Cæterum à ſeculo coronantur & lupanaria, & latrinæ, & piſtrina, & carcer, & ludus, & ipſa Amphitheatra & ipſa ſpoliaria ipſæque libitinæ*. Ex eodem libro didici ſupplices coronarios fuiſſe apud antiquos: Ita enim ipſe loquitur. *Habes tragœdiã Cerberi, habes Pindarũ atq; Callimachũ qui & Apollinem memorant interfecto Delphico Dracone lauream induiſſe, quo ſupplicẽ. Erant enim ſupplices coronarii apud veteres*. Huius moris extant certiſſima indicia apud Appianum in Lybicis, qui ſcripſit in obſidione Byrſæ, iam capta Carthagine ad Scipionem, quoſdam Carthaginienſes floreis coronis, (vt in ſacris Æſculapii fieri moris erat) caput redimitos ſup-

Supplices Coronarij.

plices veniſſe & deditionẽ feciſſe. Idẽ in Hiſpanicis ſcripſit ſeniores Cauceanorũ, coronatos & ſupplicũ habitu ad Lucullũ acceſſiſſe, petentes ab eo, quomodo populo Romano ſatisfacere poſſent & cũ eo in gratiã rediire. Conuiuę preterea hęderati, & coronis vnguentatis pectora circumuoluti accumbebant huius rei rationem his verbis Tertullianus reddit ex Harpocratione. *Liberum eundem apud Aegiptios Oſyrim, Harpocratiõ de induſtria hederatum argumentatur, quod hederæ natura ſit ab heleuco deſenſare.* Iulius Higinus de rerum cœleſtium hiſtoriis lib. ij. *Nonnulli* (inquit) *etiam coronam habuiſſe dixerant, vt ſe victorem impunè peccaſſe diceret. Itaque homines in maxima lætitia victoreſque coronas habere conſtituerunt. Id in exercitationibus & conuiuiis perſpicere licebit.* Clemens Alexandrinus Pædag. lib. ij. cap. 2.

Conuiuæ hederati.

Coronæ lætitiæ ſignum.

ὁρᾷν γοῦν ἐστὶν αὐτῶν τινὰς ἡμιμεθεῖς, σφαλλομένους περὶ τοῖς τραχήλοις ἔχοντας στεφάνους ὥσπερ τοὺς ἀμφορεῖς, διαπυτίζοντας ἀλλήλοις τὸν ἄκρατον φιλοτησίας ὀνόματι. Id eſt videre ergo licet aliquos ſemi mortuos cæſpitantes, in collis coronas habentes, non ſecùs ac amphoras inter ſe inui-

cem vinum fundentes, ſub nomine beneuolentiæ: In annua quoque votorum nuncupatione, coronatos fuiſſe, hic locus notat, ex quo ſolennia eius nuncupationis diſcere potes. *Hæc annua votorum nuncupatio quid videtur? prima in principiis, ſecunda in Capitolio, Accipe poſt loca & verba. Hunc Iuppiter tibi bouem cornibus auro decoratis vouemus eſſe futurum. Cuius ſententiæ vox eſt vtique negationis, etiamſi tacet ille Chriſtianus ore, capite reſpondit.* Haud pueros latet, laureatos fuiſſe triumphantes, triumphantibuſque ire ſolitos obuiam patres & populum. NON tangerem hunc locum niſi lectionis inconſtantia meum flagitaret auxilium. Sic igitur in Tertuliani codicibus legitur. *Triumphi laurea foliis ſtruitur, hinc aduerbis lemniſcis inauratur &c.* Beatus Rhenanus ingenue fatetur ignorantiam huius vocabuli aduerbis, nihilq; pręterea tētat. AUdaciores alijlegunt. *Hāc ſtitutus. inumbrant lemniſci.* Ego ſic legendū cenſeo: *Triumphi laurea folijs ſtruitur, atque adoreis & lemniſcis inauratur &c.* Sexcentis locis probare poſſum, adoreas triumphis adhibitas fuiſſe, hincque triumphales dici: Sed vno & altero lectori ſatis fieri poteſt. Egeſippus antiquiſſimus ele

Locus Tertulliani ex eodem libello reſtitutus.

gantissimusque auctor de excidio vrbis Hiero.lib.3.cap.24.sic de Manlii Torquati filio loquitur. *Stabat hostibus cæsis adolescens, amictus adoreis triumphalibus, sub carnifice mortis securus, quoniam beatissimum putabat victoria mori.* Iulius Solinus de M. Sergio. *Beatus profecto tot suffragiis gloriarum, ni heres in posteritatis eius successione Catilina, tantas adoreas odio damnati nominis obumbrasset.* Hinc apud Sext. Pompeium legimus veteres adoreas laudem dixisse, quia gloriosum putarent esse, qui copia farris abundaret. In Veteri Glossario Adoriosa, ἔνδοξος ὡς πομπήιος. Haud scio an ex alio auctore quis valeat discere vtrum magistratus, & publici ordines in causis publicis sederent coronati. Hic locus fortè hoc vult. *Coronant & publicos ordines laureis publicæ causæ, Magistratus vero insuper aureis, vt Athenis, vt Romæ.* De Hetruscis quarum supra dicto apud Pliniũ, loco fit mentio, illud addendum. *Præferuntur etiam illis Etruscæ. Hoc vocabulum est coronarum quas gemmis & foliis ex auro quercinis, ob Iouem insignes ad deducendas Thensas cum palmatis togis sumunt.* Illud de prouincialibus. *Et prouinciales coronæ ima-*

Magistratus coronati.

Hetruscæ coronæ.

ginum iam non hominum maiora capita quærentes. Vt vero ſicut diximus, milites donatiuo donati coronabantur: Sic vulgus poſt victoriam principis vel in eius natali coronam ſumebat, *coronatur & vulgus ex principalium proprietatum exultatione, nūc ex Municipalium ſolennitatum proprietate.* Ex eo patet in congiariis principum, & feſtis Municipalibus, vulgus quoque coronari. Hic etiam coronarum vſus ad nuptias vſque promanauit. *Coronant & nuptiæ ſponſos, & ideo non nubimus Ethnicis.* Sextus Pompeius in dict. corolla. *Coronā*, inquit, *noua nupta de floribus verbenis, herbiſque à ſe lectis ſub amiculo ferebat.* Hinc fortè illud apud Hermenopulum lib. 4. Tit. 4. de nuptiis Clandeſtinis, iubetur, ne quis clàm coronetur. i. nubat, ſed in pręſentia plurium. μηδεῖς μυςικῶς ςεφαγύσθω, ἀλλα παρόντων πλειόνων, &c. Lares quoque in nuptiis, fœlicis euentus cauſa coronari, apud Plautū in Aulularia Euclion ſenex docet.

Prouinciales.

Coronæ in nuptiis.

Locus Harmenopuli illuſtratus.

Nunc Tuſculum emi & haſce coronas floreas
Hæ imponentur in foco noſtro, lari
Vt fortunatas faciat Gnatæ nuptias.

Ex hoc denique loco coniicio & manu-

missionem coronasse, *coronat*, inquit, *&* *libertas secularis*. Sciens videns volensque, multa pretermitto, quæ addi possent, ex iis tantum floribus volo coronam meam fieri. Athenæus, Plinius de coronis copiosissimè loquntur. Væ tempori! quod in hac commentatorum materia præstantissimũ Claudium Saturninum nobis præripuit: Cuius extitisse de Coronis librum Tertullianus ait, & origines & species & solennitates earum ita edisserentem, vt nullam gratiam floris, nullam lætitiam frondis, nullum cespitem aut palmitem non alicui capiti inuenias consecratum.

Manumissi coranati

Moris apud antiquos fuisse, aurum vel argentum extensa Chlamyde excipere, non cauata manu quod putabatur esse rapientis.

CAP. XX.

Qui

V I dixit viue moribus præteritis, loquere verbis præſentibus belliſſimê dixit. At ô mores! verba priſca & deſita, quæ nec ipſa Euandri mater agnoſceret, diligenti ſtudio repetuntur atque explicantur. Mores vero priſci quibus eſſe nihil poteſt purius ac integrius, velut aniles quædam præſtigiæ, vno quaſi ore damnantur atque exulant. Vt antiqua & exculcata verba reſtituantur, haud improbo. Volo vt priſcorum orationem grauem & horridam graues & horridi mores conſequantur. Nil ęquè mihi placet ac antiquorum oratio, nil me ex antiquorum libris delectat magis, quam qui ex verbis colligi poſſunt mores. Puto me auctorem non fruſtra quempiam legiſſe, ſi verba notauerim: At lucrum mihi videor feciſſe, ſi morem aut conſuetudinem priſcorum aliquam obſeruauerim. Lubet igitur Ammiani Marcellini verba ſubiicere, ex quibus accepi quondam moris fuiſſe, extenſa chlamyde aurum vel argentum excipere, non cauata manu quod eſſe rapientis videbatur, non accipientis. *Inductis*, inquit, *quadam ſo-*

H

Cauata manu excipere, erat rapienti.

lenni die Agentibus in rebus, in consistorium vt aurum acciperent, inter alios quidam ex eorum consortio, non vt moris est expansa chlamyde, sed vtráque manu cauata suscepit & imperator, Rapere inquit non accipere sciunt Agentes in rebus. Disertissimus & elegantissimus poeta, Tibullus in quadam Elegia cum auaritiam & rapacitatem dominæ insectaretur, dicebat illam caua manu pretium flagitare.

Illa (inquit) *caua pretium flagitat vsque manu.*

Hinc quoque apud Aurelium Propertium, eius nitoris & elegantiæ poetam fluxit salax ille, & pretextatus versiculus.

Nunc furtiua cauis poma dabam manibus.

Ex hoc, vt puto, more deriuatæ sunt hæ prouerbiales dicendi formulæ, *ferre sinu laxo, remittere vacuo sinu, in sinum vertere.* Ferre sinu laxo nihil aliud est quam expansa chlamyde. Horat. Ser. II.

nucesque
Ferre sinu làxo, donare & ludere vidi.

Vacuo sinu remittere, id est pauperem, inopem & vacuum remittere. Valerius Martialis x. Epig. ad Macrum.

Ibis littoreas Macer Salonas,
Ibis rara fides amorque recti,
Et secum comitem trahit pudorem,
Semper pauperior redit potestas.
Fœlix auriferæ colone terræ
Rectorem vacuo sinu remittes.

In sinum vertere, in rem suam vertere est. Sic eruditi accepere hæc Ælij Lampridij verba in Commodo. *Agebanturque omnia per alios, qui etiam condemnationes in sinum vertisse dicuntur.* Sub Tyrannis vænire solent iudicia. De his ergo Lampridius loquitur qui sub Commodo iudicia vænumdabant, & in rem vertebant suam. Papinius Statius Syluar. ij. fortunam rediire largam sinu dixit, cum prospera contigisset.

Et qua tibi cumque beatum
Larga redit fortuna sinu.

Plinius καταχρηστικῶς in rapinis & furtiuis rebus vsurpauit, lib. xxxvj. cap. xv. Vnde (inquit). *M. Scaurus pater, toties princeps ciuitatis, & Marianis sodalitiis rapinarum prouincialium sinus.*

Hîc ego libro Variarum primo finem

do quem degeſſi in Caſelliano meo, hoc tempore, quo peſtilentia Aruernos noſtros depopulabatur, & Iſaurici quidam latrones infeſtabant. Si te hic liber nihil docere poſſit, ſaltem à memoria erit.

FINIS LIBRI PRIMI.



IAC. DVRANTIVS CASELLIVS, IAC. CORTINIO CISSEO N. P.

S.



LLE *dies (Iac. Cortinj) qui mihi dictus & status est cum illa virgine, quam promissam, pactam & desponsam habeo, mihi vellit aurem, vt recorder illius antiqui moris,*

Sparge marite nuces, tibi deserit Hesperus Oetam.

Itaque nunc verè spargo nuces meas, hoc est, ludos pueritiæ & adolescentiæ meæ: Quos ego cui potiùs spargam quam tibi,

quocum mihi pubertas in Musarum gremio, fœlicissime & amicissime traducta est, quocum ab ipsis studiorum meorum incunabulis amicitia contracta, quę eosdem progressus & incrementa fecit, quæ ætas nostra, quam nisi vetus consuetudo & longa familiaritas creasset, iudicium quod ætati accessit conciliare poterat. Iudicio enim te amo (mi Cissęe) Quid enim te non amem, à quo scio me constantissimè amari, cuius etiàm, si te non nossem amarem virtutes, ingenium amplecterer? Qui enim tàm fœliciter amorem cecinit; nemini non gratus esse potest. Sed heus tu, quod iudicium tuum de his nugis? probabis. Quid enim meum non probas? At maluisses Milesias meas & poëmata videre lucem: Et hoc quidem ætati meæ ac huic tempori conducibilius erat. Amo enim & nisi Iuno iugalis, & Venus vota mea audiuissent, Leucatem sàltum cogitabam. Sed ratis nostra in portu est, & quod

Deus mihi benè vortat, breui maritus ero, nec deinceps vxorium soluam. Musas meas continui tecto, quia illis manus vltima non accessit, & timui ne si ornatu illo prodirent foras, earum auctorem proderent potiùs, quàm promouerent. Illas igitur domi contineo, hosque interim Variarum commentarios manu mitto, liberi sint & abeant quò volent, quò fors iusserit. Illos si bonus aliquis Genius comitetur, operæ meę pretium tuli, ingenio tamē & iudicio meo non satisfeci nisi meruj. Tu id videto cum Bineto, cúm Gossellino, cum Bonefonio nostro, cum Iuliano fratre, quibus si placui, assecutus sum quod volebam.

Vale & me ama.



IACOBI DVRANTII CASELLII VARIARVM,

LIBER SECVNDVS.

Explicatus Gregorij Pontificis locus ad Brunichildam Francorum reginam. De vulgari purgatione. Igne in purgationibus & expiationibus vsos fuisse Romanos sicut aere.

CAPVT PRIMVM.



E quilibet iure fugitiuum dixerit, ſtruxi pedem, meque dominæ præripuj iuriſprudentiæ, ac domi nica extraneis prōpſi, haud metuens ne quis fugitiuarius meis pedibus craſſas & ponderoſas inij-

ceret compedes, meque retraheret & he rili redderet conſpectui. Iampridem corporis & miniſterij mei furtum feci: ſi mei poſſidendi legitimum eſſet initium, vſucapione caput eſſem. Sed ſuis legib' hera iãdudum cauit, ne fugitiuo temporis pręſcriptio prodeſſet, quia ſicut rei furtiuæ vſucapio nulla eſt, ſic fugitiuo qui fugiendo creditur ſui furtũ facere, tẽpore nulla poteſt acquirj libertas. Me verberonẽ & furciferũ non pœnitet adhuc nauatæ alienis operæ. Eo tamen loco ſi non iuri ciuili, at eius conſanguineo, id eſt iuri Pontificio operam dabo. Gregorius igitur ad Brunichildam Francorum reginã de Mẽnæ Epiſcopi purgatione ſic ait. *Vulgarem denique ac nulla canonica ſanctione fulcitam legem Feruentis ſcilicet aquæ, ſiue frigidæ ignitiquæ ferri contactum aut cuiuſlibet popularis inuentionis (quia hæc fabricante omnino facta ſunt inuidia) nec ipſum exhibere, nec aliquo modo te volumus poſtulare, imo Apoſtolica auctoritate prohibemus firmiſſime.* Duo in ſacris canonibus & Pontificio iure ſunt purgationum genera, vnum Eccleſiæ probatum, quod canonicum appellatur, alterum apud vulgus frequens &

Duo purgationum genera

sacratissimis decretis vetitum, quod vulgare vocitabat. Vtrique in decretalibus suus titulus dicatus est. Canonicum est se iuramento purgare, siue interrogatione per sanctam consecrationem, siue socijs eiusdem ordinis quod dicitur tertia siue quarta manu, cap. Quoties ext. de purgatione canonica, quatuordecima manu sui ordinis cap. inter sollicitudines eod. quod soleo interpretari, tribus siue quatuor siue quatuordecim sociis, quod ij manu sublata, & adhibito iure iurando eius innocentiam & fidem testarentur, qui & compurgatores dicuntur. Eod. cap. quoties & socios eiusdem ordinis Agathense concilium vocat c. ij. q. v. c. Si legitimis. Hinc illi versus.

Canonicũ

Quid sit tertia siue quarta manu se purgare.

Compurgatores.

Pontificem parium manus expurget duodena.
Quinta sacerdotem, leuitam tertia, pœna
Maior majori: minor est adhibẽda minori &c.

Vulgare.

Hotomanus feud. disput. xi 4. de probatione per exploratianem

Hæc purgatio siue expiatio ante diuorũ corpora fiebat, quo maior adhiberetur religio. Vulgaris vero purgatio erat, qua se vulgus in feruentem siue frigidam aquam immittebat, & membris suis candens ferrum applicabat, ex quibus si illæsi & intacti essent, purgati his criminibus

esse credebantur, quorum rei essent: Siuè cùm inijret Duellum, ceu Monamachiam, cuius victor innocens putabatur. Duellum prohibetur cap. j. & ij. de vulgari purg. Candentis verro ferri, siue feruentis aquæ iudicium, alienum esse à sacris canonibus scribit Stephanus pontifex c. ij. q. v, c. consuluisti, & Honorius cap. vlt. extra de vulg. purg. Quidam presbyter homicidii reus, cum iudicio aquæ frigidę innocentiam purgasset, purgatus non esse dicitur, & vt se purget septima vel quinta manu sui ordinis iubetur, cap. ex tuar. ext. de purg. can. Etsi frigidæ aquæ & igniti ferri examen non probaretur, igne tamen se quosdam Episcopos expiasse didici. Abbas Vspergensis de Albanensi Episcopo, quem igneum esse dixit appellatum, quod absque vlla exustionis nota per flammam iuisset. Eius hæc verba sunt in Chronicis. *Iste per iudicium ignis immensam pertransiens illæsus pyram, vestimentis etiam per flammam volitantibus, sed in nullo læsis, Petrum Florentinum Episcopum declarauit Symoniacum vnde & ipse posteà igneus appellatus est.* Idem Vuelphonem aquæ frigidæ iudicio innocen-

Frigidæ aquæ iudicium.

Iudicium ignis.

tiam probauisse scripsit. *Pro qua re (inquit) tamen in fine satisfecit, & villas plurimas eisdem Episcopatibus tribuit, in tantum quod iudicio frigidæ aquæ innocentiam probauerit.* Eiusmodi purgatio testimonij loco erat. Hinc Sigebertus, in Chronico de Pepone quodam Clerico, quem testandæ probandæque suæ religionis causa scripsit ignitum ferrum manibus sustulisse. Eius hæc verba sunt. *Rex Danorum Araldus condixit clerico vt fidem propositam à se probaret testimonio veritatis, quod annitente clerico, ingentis ponderis ferrum valde ignitum manibus illius ferendum imponitur, quod cum Clericus vsque ad placitum omnium absque vlla læsione tulisset penitus abiecta idololatria se suosque ad colendũ verũ solum* Deũ *conuertit &c.* Canonica purgatio Diuinum iudicium vulgaris humanum dicitur in §. si rusticus in feud. de pace tenenda. Vbi glossa super his verbis. *An Diuino id est* (inquit) *per iudicium candentis ferri: sicut hodie est consuetudo in multis locis portari, vel forte accedet ad nouem vomeres ignitos quorum quilibet calidus siue ignitus in terra ponetur, vnus ante alium & ipse portabit vnum ex ijs, donec fuerit ad nouum.* Hac

Error glossæ in § si rusticus in feud. de pace tenẽda.

de re eadem glossa extare quædam refert in legib. Longobardorum l. iij. de Parricidiis & de homicid.lib.hom.l.vlt. Quæ tamen glossa putide errat cum Diuinum iudicium interpretatur iudicium ignis, & humanum duellum. De his ego fusius in paratitlis, quæ in ius Pontificium paro, & edam aliquando si vota & spes meas Deus Opt. Maxim. fortunet. Hi purgationum mores, sicut pleraque alia quę hodie apud nos recepta sunt fluxere ex prisca gentilium religione quos igne, aere, cæterisque principiis in purgationibus vsos fuisse, ex variis eorum locis accepi. Vergilius vi Æneidos de animarum purgationibus.

aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad ventos, aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.

Purificatio per ignem apud Gentiles.

Seruius Honoratus hîc obseruauit intelligi tres solennes in sacrificiis omnibus vetustæ religionis expiationes.

Nam aut teda purgantur (inquit) *aut aqua abluuntur, aut aere ventilantur, quod erat in sacris Liberi.* Vocantur in testimonium

hi quoque Maronis versus quibus aereã asserat purgationem.

Vergilius illustratus.

Et te Bacche vocant per carmina læta, tibique
Oscilla ex alta suspendunt mollia quercu,
lib. 2. Georg.

Oscilla quæ sunt.

Quidam hic nugantur de cuiusdam Icari fabula: alij oscilla esse contendunt virilia membra, de floribus facta, quæ per intercolumnia suspensa, ore solebant cillere id est mouere, ad risum populo commouendum. Sed ea de re doctiores ita censuerunt secundum purgationem aeream hos versus accipiendos nec eorum apinas videri admittendas, qui fabulam vel obscœnitatem comminiscuntur: de purificatione quæ per ignem fit, obseruandum apud Homerum est, Vlyssem post procorum stragem, sulfure ac igne lustrare domum, quò ipsam sanguine ac sanie inquinatam expiaret. Itaque Homerus sulphur vocat κακῶν ἄκος.

Sulphur in purgationibus.

οἶσε θέειον γρηῦ κακῶν ἄκος, οἶσε δὲ μοι πῦρ
ὄφρα θεειώσω μέγαρον.

Deinde

πῦρ νῦν μοι πρώτιστον ἐνὶ μεγάροισι γενέσθω

Ipse Vlysses circumfert ignem ac sulphur & regiam procurat:

ἤνεγκεν δ' ἄρα πῦρ καὶ θήϊον, αὐτὰρ ὀδυσσεὺς εὖ διεθείωσιν μέγαρον καὶ δῶμα καὶ αὐλὴν.
Mulieres quoque idem Homerus fabulatur tędas pręferētes aduenisse, ac Vlyssem salutasse à cede recentem, vt eum expiarent. M. Terētius Varro apud Cornutum interpretem Persii. *Palilia*, inquit, *tam priuata quam publica sunt, & est genus hylariatis & luxus apud Rusticos, vt congestis cum fœno stipulis, ignem magnum transiliant his Palilibus se expiari credentes.* Proclus huius generis multa refert in libello de sacrificiis & Magia. Martianus Capella lib. ij. de Philologiæ nuptiis ex doctrina Virgilij, nullum ait inter deos referri, nisi prius vel lautus, vel igne vstus, vel eius animæ symulachrum verberatum fuerit. *Nec igne*, inquit, *vsserit eum, nec Lympha subluerit, Nec animæ symulachrum Syri cuiusdam dogmate verberarit.* Propertius. *Palilia.*

Dein quemcunque locum extremæ tetigere puellæ,
Suffocat, & pura limina tergit aqua.
Imperat, & totas iterum mutare lacernas,
Terque meum tetigit sulphuris igne caput. *Suffocare*

Suffocare ibi Scaliger pro πυρῶσαι vsurpauit. Tibullus Eleg.j.

Ipseque ter circùm lustraui sulphure puro,
Carmine quo magico procubuisset ànus.

Plinius 35. *Habet*, inquit, *& in religionibus locum sulphur ad expiandas suffitu domos.* Ouidius de arte amandi lib.2.

Et veniat quæ lustret anus lectumque locumque,
Præferat & tremula sulphur & oua manu.

Idem Tibullus,

Et me lustrauit tedis, & nocte serena
Concidit ad magicos hostia pulla deos

Vt expiare vndis prodigia soliti erant Romani, sic flammis quoque procurabant. Ante docui expiationis gratia, Androgynos Pontifices consueuisse in profundum mittere. Ex hoc Lucani loco didici quoque monstrosos partus flammis consumi solitos lib. Pharf.x.

Monstrosi partus flammis dabantur


Monstra iubet primum quæ nullo semine discors
Protulerat Natura rapi, sterilíque nefandos
Ex vtero fœtus infandis vrere flammis.

Stoici existimauere, sicut nos quoque Christiani credimus, sceleratorum animas post mortem igne purgari, quod genus

nus purgationis ἐκπύρωσιν appellauere vt ſcripſit Clemens Alexãdrinus ſtromate v. In quo & Platonis verba refert exiſtimantis futurum eſſe vt igni & aqua terra expurgaretur. Quæ vnde hauſit Plato niſi ex ſacratiſſimis Hebræorum libris, quos in illa apud Ægyptios peregrinatione quam feciſſe conſtat, perlegerat? vnde pleráque extant in eius monumentis veſtigia. *Stoicorũ opinio de animarũ purgatione per ignem.*

Sicut ignem & aerem: ita aquam & terram purgare creditum fuiſſe, cur Veſtales impudicæ & corpora præter naturam libidinoſa in terrã infoderentur.

CAP. II.



SI liceat mihi anteſtari, opponent auriculam auctores infiniti, qui meminere vndas in purgationibus fuiſſe vſurpatas. Ex Macrobij Saturnalibus didici, pro ratione deorum, quibus ſacra facerent ſolitos antiquos, vel corpus totum aquis abluere, vel aſpergere

tantum. Docet ex Maronis doctrina superis sacra facturos corpora fluuialibus vndis purgare. Hinc illud.

Vnda in purgationib.

Donec me flumine viuo
Ablucro.

In sactis inferorum se pura tantum circumferre vnda.

Ter socios pura circuntulit vnda.

Ter aspersio illa fiebat per madentem laurum, hinc illud Iuuenalis.

quotiens hic talis ad illos
Vmbra venit, cuperent lustrari si qua darentur
Sulphura cum tœdis, & si foret humida laurus.

Hinc quoque fluxit is Lycurgi apud Plutarchum iocus cùm Athenienses Alexandrum inter diuos referrent. *Qualis hic deus*, inquit, *cuius templum qui egrediũtur aqua eos aspergi oportebit?* M. Tullius de legibus ij. N*am incœstum*, inquit, *vel aspersione aquæ, vel dierum numero tolli, Animi labes nec diuturnitate vanescere, nec manibus vllis elui potest*. Columella ex Ambiuio, Licinio & Macro scripsit promum & condum, castum continentem & rebus venereis abstinentissimum esse debere, qui

si se impure ac propudiosè habuerit iubetur se iugi vnda, vel flumine abluere purgationis causa: Eius hęc verba sunt lib. xij. cap. 4. *Quibus* (id est venereis rebus) *si operatus fuerit antequam contingat penora debere flumine vel perenni aqua purgari.* *Promus condus qui rei veneriæ operam dedit, iugi aqua purgandus est.*

Tertullianus lib. de Baptismo. *Sed enim nationes extraneæ ab omni intellectu spiritalium potestatum, eadem efficacia idolis suis subministrant sed viduis aquis sibi mentiuntur. Nam & sacris quibusdam per lauacrum initiantur, Isidis alicuius aut Mithræ, ipsos etiam Deos suos lauationibus efferũt. Cæterum villas, domos, templa totásque vrbes aspergine circumlatæ aquæ expiant passim, certe ludis Apollinaribus & Pellusiis tinguntur. Idque se in regenerationem & impunitatem periuriorum suorum agere præsumunt. Item penes veteres quisquis se homicidio infecerat, purgatrice aqua se expiabat.* *Sacris initiari per lauacrum*

Ita hi, qui inquietos & importunos somnos habuissent, Lympha somnia procurabant mali ominis auertendi gratia. *Vndis procurare somnia.*

Propertius

Ac primum pura somnum tibi discute Lympha,

Persius. *& noctem flumine purgas.*

Præterea cum aqua & ſalem ac lentem ſolebant iniicere. Mænander Comicus apud Clementẽ Alexãdrinũ Stromate 7. κενὸν εὕρηκας τὸ φάρμακον πρὸς τὸ κενόν. εἰ ἤθη-τι δὲ ὠφελεῖν τίσε περιμαξάτωσαν σε αἱ γυναῖ-κες ἐν κύκλῳ καὶ περιθείωξαν ἀπὸ κρουνῶν τριῶν ὕδατι περιῤῥάναι ἐμβαλὼν ἅλας φακοὺς πᾶς ἁγνός ἐστιν. id eſt inane medicamentum inueni ad inane: exiſtima autẽ id te aliquid adiuuare: abſtergant te circumcirca mulieres, & ex tuis fontibus aquam afferant vt te aſpergant, ſalémque & lentem iniiciãt. Terram quoque purificationis cauſa ſumptam haud latere poteſt ipſum qui in ſacris monumentis legerit, indicto ieiunio, Hebræos caput capillóſque cinere deturpaſſe. Religio quoque veterum, animas defunctorum terra purgatas in cœlum demigrare credidit M. Tullius in ſomnio Scipionis. *Namque eorum animi* (inquit) *qui ſe coporeis voluptatibus dedidere earũque ſe quaſi miniſtros prebuere, impulſuque libidinum voluptatibus obedientium, Deorum & hominũ iura violauere corporibus elapſi circum terram ipſam volutantur. Nec hunc in locum niſi multis exagitati ſeculis reuertuntur..* Veſtales quæ deuotam violaſſent pudicitiam & ſacratum veſtæ

Vetus mos cum aqua ſalem & lentem iniiciendi

Terra vſurpata in purgationibus.

corpus alienis libidinibus prostituissent, expiationis gratia defodere sub terram moris erat, lucerna tantum, pane, aqua lacte, oleo relictis ne viderētur (vt inquit Plutarchus inedia perire) quæ pœna illegitima erat (vt ex Basilicis doctor meus Iac. Cuiacius V.C. obseruauit) quarum corpus maximis addictum esset expiationibus. Ea credo ratione eum qui contra naturæ legem cum fœmina rem habuisset, sub terram defodi voluerunt ROmani legumlatores. Clemens Alexandrinus Pæd. iij. ἄγαμαι inquit τοὺς παλαιοὺς Ῥωμαίων νομοθέτας ἀνδρογύνων ἐμίσησαν. ἐπὶ τέλευσιν οὗτοι καὶ τοῦ σώματος τὴν πρὸς τὸ θῆλυ κοινωνίαν, παρὰ τὸν τῆς φύσεως νόμον, ὀρύγματος κατηξίωσαν· κατὰ τὸν τῆς δικαιοσύνης νόμον. Id est admiror veteres Romanos legislatores. Hi muliebre ac effœminatum vitæ studium odio habuerunt, & cum fœmina corporis consuetudinem preter naturæ legem, vt in terra infoderetur ex lege iustitię æquum existimauerunt. Parricidam his omnibus principijs carere voluerunt vel vt ait M. Tullius pro Roscio Amerino denegari terram mortuo, aerem viuo, aquam naufrago, littus eiecto, vel vt Constanti-

Inedia pœna non legitima.

Vetus lex & pœna cõtra eos qui cõtra naturam rem cum fœmina habent.

Ratio cur Veteres omnium principiorum beneficio parricidas carere voluerunt.

nus Imperator l.vnica C. de his qui par. vel lib. occid.auferri cœlum superstiti, terram mortuo quod tam graue & horrendum scelus, nullis procurationibus expiari posse arbitrarentur.

Explicatæ l. minimæ maiores ff. de relig. &c. & l.liberorum eod.de his qui notantur inf.quorum cadauera insepulta proijcerentur: addita quædam de his qui sibi mortẽ conscirent & quæ causæ essent legitimæ sibi manus asferendi.

CAP III.



B ipsa natura vnicuique ingenitam esse cupiditatem,vt desertum ab anima corpus suum optimè ac honorifice condiatur,quilibet fatetur,qui humani à se nihil auersatur. Apud omnes quidem gentes sepulturæ ius summum & inuiolabile fuit, *Ius sepulturæ.* exequiarum religio summa, ita vt iacere

insepultũ, summo atque vltimo probro duceretur. Atque mediusfidius hi tantum sepulturę honore carebant, qui vel in patriam perfidi essent, vel qui in suos atroci sęuirent crudelitate vel qui manuũ suarum ministerio ad propriam stragem abuterentur. Antiqui reos maiestatis insepultos proiici voluere eos, indignos communi beneficio censentes qui violata communi quiete ac spreta communis charitatis ratione, in patriam impias mouerent aquilas, vel in principem, qui pro suorum capite ac fortunis excubias perpetes agit. Marcell⁹ I.c. antiquitus in l.xxxv.ff.de relig.&sumptib. *Minime* (inquit) *maiores lugendum putauerunt qui ad patriam delendam & parentes & liberos interficiendos venit &c.* Neratius in l.liberorum ff.de his qui notantur inf. ait. *Non solent lugeri hostes vel perduellionis damnati, neque suspendiosi, neque qui manus sibi intulerint nõ tædio vitæ sed mala conscientia & hi sunt quos more maiorum lugeri non oportet.* Ergo si neque hostes publici neque suspẽdiosi neque manus sibi afferentes lugentur, ergo nec sepeliuntur, quia luctus à sepultura incipit & postea peracto legitimo decem

Rei maiestatis & patriæ proditores insepulti.

mensum spatio finitur. Ante Caium A. corpora reorum maiestatis,ad Sepulturam dabantur. Sed ex Vespasiani tunc prætoris adulatione,additum est pœnæ coniuratorum vt insepulti proiicerētur. Tranquillus in Vespasiano sic ait. *Ac prima statim petitione & imprimis Prætor infensus Senatui, Caium ne quo non genere demereretur, ludos extraordinarios pro victoria eius Germanica depoposcit: pœnæque coniuratorũ addendũ censuit, vt insepulti proiicerentur.*

Quando pœna coniuratorũ additum est vt insepulti proiicerentur.

Porrò hostes à Senatu iudicati,vel principes qui crudeliter vixerāt insepulti vel in profluentem, vel in Cloacam mittebātur,statuis eorum deiectis,fractis imaginibus&nomine publicitus eraso. Hinc apud Iulium Capitolinum inter Senatus acclamationes, quibus Maximinium tyrannum insectatur illud est. *Maximini nomen olim erasum nunc animis eradendum, hostis publici caput in profluēte abiiciatur, corpus eius nemo sepeliat.* Apud Æliũ Lāpridiũ in Cōmodo. *Innocentes sepulti non sunt: Parricidæ cadauer trahatur, Parricida sepulto seruit: Parricidæ cadauer trahatur: & cum iussu Pertinacis Liuius Laurensis procurator patrimonij Fabio Chiloni consuli designato dedisset.*

Tyranni insepulti.

Per noctem Commodi cadauer sepultum est: Senatus acclamauit, quo auctore sepelierũt. Parricida sepultus seruatur, trahatur (inquit) Seuerus dixit, iniuste sepultus est, qua Pontifex dico hoc collegium Pontificum dixit. At vero vt apud Romanos ijs tantum, (quod in mentem veniat me legisse) honos funeris & terrę beneficium denegabatur: Sic apud Hæbreos hi auium & quadrupedum feritati proiiciebãtur, qui sibi homicidas manus intulissent, & qui parricidę vel proditores fuissent. Itaque placet recensere verba Iosippi grauissimi auctoris, quæ apud eloquentissimum excidii Hyerosolymitani scriptorem Egesippum extant, lib. 3. cap 17. *Hæc non solum moribus hominum sed etiam legibus interdicta accepimus. Namque alij insepultos proijci iubent eos, qui in se ferrum deiecerunt. Dignum est vt qui patris imperium non expectauerunt, priuentur quasi quodã matris gremio, terræ sepulchro. Alii dextram manum abscindunt defunctis, vt separent à membris sui corporis quod aduersus corpus suũ vesano militauit furore. Sed hunc exitum sacrilegi ferunt, aut proditores, vel percussores parentum, qui verum patrem non agnouerunt, nec esse agnoscunt: Ideo aut penitus sepeliri pro*

Homicidæ sui ipsius terra denegata.

bibentur aut non toti sepeliuntur. Apud Iosippum legi ad solis vsque occasum non sepeliri. Ex Egesippi vero verbis paret penitus non sepeliri, vel manum tantum abscissam non sepeliri, vt in sacrilegos proditores parricidas fieri solitum erat, reliquum vero corpus humo mandari. Seruum quoque qui dominum occiderat, Theodericus rex apud Cassiodorum lib.x. Var. insepultum proiici iubet. *Fiat ergo pastus pij vulturis qui necem potuit crudeliter desiderare pastoris: tali potius sepulchro recipiatur qui dominū reddidit insepultum.* Sicut igitur neque tyrannis honos sepulturæ datur, sic suspendiosis & his quoque qui sibi cruentas manus inferunt iusta non fiunt. Hinc illud M. Terentij Varronis fragmentū, *Suspendiosis quibus iusta fieri non sit suspensis oscillis veluti per imitationem mortis patentandum est.* Concilio quoque Braccharensi cōstitutum est, ne eorum qui se interfecere, commemoratio in oblatione fiat, nec cadauera cum psalmis ad sepulturam offerantur. Sextus Pompeius scripsit cum carnificis loco habitum fuisse, qui se vulnerasset vt moreretur. Et sane non solum voluntaria mors crudelis

Seruus qui necem domino intulisset insepultus exponebatur.

Suspendiosi inhumati.

Concilij Braccharensis locus.

habebatur, verumetiam turpis & probroſa. Hegeſippus lib. 4. *Quia voluntaria mors immanitati aſcribitur, informis laquei nodus etiam probro datur.* Poſthumius Iunior Decl. v. *Equidem Iudices vt ſentio neminem mortalium fauere hominis ſepulturæ non conuenit, quia vna res eſt cùm exemplum ad omnes pertineat: Ideoque non niſi ab vltimo parricidio exigitur pœna trans hominem. Etiam ſi quæ ſunt iura quæ obſtent ſi tamen anguſtus ſaltem detur acceſſus, per quem intrare humanitas poßit, vera clementia occaſione contenta eſt.*

Eorum igitur cadauera ignominiæ cauſa inſepulta iacebant, hiſque nemo funus ducebat: ſicut apud Sophoclem in Antigone Creon edicit, ne quis Polynices cadaueri iuſta perſoluat infamię gratia. Hæc Sophoclis verba ſunt.

τοῦτον πόλει τῇ ἐκκεκηρῦχθαι τάφῳ
μήτε κτερίζειν, μήτε κωκύσαι τινὰ,
ἐᾶν δ' ἄθαπτον καὶ πρὸς οἰωνῶν δέμας
καὶ, πρὸς κυνῶν ἐδεστὸν αἰκισθέντ' ἰδεῖν.
τοιόνδ' ἐμὸν φρόνημα.

Infamiæ cauſa ſepultura negabatur.

Vir quiſpiam eruditus ſic latinos fecit.

Huic itaque publicè vniuerſæ vrbi veto,

Ne quis parente lugeat ve funera:
Sed insepultum auibus dapes gratas sinat
Atque canibus laniari & affici á feris
Hac contumelia. Hæc mea est sententia.

Non tamen omnes qui vel longam de se vt inquit Plautus litteram fecerunt, vel mortem sibi consciuerunt, infames fuerunt, qui enim tædio vitæ vel impatientia doloris, vel post summam lętitiam vitæ suæ, quolibet mortis genere finem darent, gloriose ac honestè obijsse putabantur. Valerius Maximus venenum ait cicuta temperatum apud Massilienses publice custodiri, quod dabatur ei qui causas Sexcentis .i. Senatui exhibuisset, propterquas mors esset illi expetenda, cognitione virili beneuolentia temperata *quæ neque* (inquit) *egredi vita temere patitur, & sapienter excedere cupienti celerem fati viã prebet, vt vel aduersa vel prospera nimis vsi fortuna (vtraque enim finienti spiritus, illa ne perseueret hæc destituat rationem præbuerit) comprobato exitu terminetur.* Et profectò hæ duę tantũ causę legitimę sunt quas etiã apud Romanos obtinuisse mihi persuasi ex his comicorũ locis. Plautus in Poenulo.

Causæ legitimæ manus sibi afferendi.

A. Abi domum ac suspende te
M. quamobrem? A. quia nunquam audies
verba tot tam suauia
Quid tibi opus est vixisse? Ausculta mihi
modo ac suspende te.

Terentius in Eneucho.

Nunc est profecto interfici cum perpeti me
possum,
Ne hoc gaudium contaminet vita ægritudi-
ne aliqua.

Ergo vt lætitiam morte continuarent suspendio, vel quouis alio mortis genere vitam terminabant, sicut hi quoque qui vt viuendi tollerent fastidium, vel dolori bus modum imponerent se ferro trucidabant. Eadem ratione audio Arabes & Turcas credulam & superstitiosam gentem, viso Muhammadi sepulchro, vel se excæcare vel vt inquit Laberius.

Elucificare exitum ætatis suæ


Quia nihil videri posse vel sanctius vel illustrius arbitrantur. Dignum ita me Deus amet tanto vate ac semone sepulchrum, à quo excæcati redeunt, qui se ad illud oculati, honoris & religionis causa contulerant. Et sane velim quis mihi dicat, vtrum in reditu magis quam itu

Mos Turcarũ & Arabum.

adituque cæci fuerint, mihi quidem iustas de oculis exegiſſe pœnas videntur, quos tamen irreligioſo cultu polluerant.

Quid illud ſit quod Vergilius ſtare puluere cœlum, & quod Lucilius pectus ſentibus ſtare dixit quondam ab A. Gel*lio lib.viij.explicatum nunc iniuria temporis ſublatum:*

CAP. IIII.



VLVS Gellius ſcriptor nitoris ac facundię nō vulgaris, elegantiarumque veterum & memoriarum pleniſſimus, noctium ſuarum lib. viij. explicauerat, quid eſſet apud Vergilium *cœlum ſtare puluere*, Et Lucillium pectus ſentibus. Sed vel hominum vel temporis iniuria, huius libri factum eſt naufragium, & remanſere tantum inſcriptiones capitulorum quæ nobis huius inijcere grauius & intolerabilius deſiderium. Ego faciā periculum ea qua ſoleo diffidētia, nùm poſſit huius iacturę dāmnum quodammodo reſarciri.

De iactura octaui libri noctium Attic. A. Gellij.

Naufraga sæpe numero diuersis exposita littoribus colliguntur, iactæque per sæuitiam ventorum & tempestatis in profundum merces domino non priuantur. Ita lib. viij iactura facta est, disiecta nihilo minus & dissipata apud varios auctores tanquam scopulos iacturæ fragmenta colligi possunt ac reparari. Virgilius lib. xij.

Et sæuus campis magis ac magis horror
Crebrescit propiusque malum est: iam puluere cœlum stare vident.

Seruius Honoratus stare puluere interpretatur plenum esse, in eius etiam sententiam concedũt plerique grammatici vetustissimi, Sic scio Hellenium Acronẽ & Porphyrionem antiquissimos Horatij interpretes hunc locum accepisse. *Stare puluere.*

Vides vt alta stet niue candidum Soracte.

Acron *stet id est cooperiatur, vt stant lumina flamma. & iam puluere cœlum stare vident* Porphirio *stet (id est) plenum sit vt Ennius stant puluere campi Vir. iam pul. &c & in Buccolicis.*

Stant & iuniperi & castaneæ hirsutæ.

Idem Virgilius lib. 6 de Charonte.

Canicies multa iacet stant lumina flamma

Eadem forma *S*euerinus Boetius lib. de consol. I. dixit.

Vt cum præcipiti glomerantur Sydera polo
Nimbosisque polis stetit imbribus.

Verbi sta re varia significationes.

Nonius Marcellus huius verbi varias dat, significationes, illud enim vel pro consistere, vel pro horrere, vel pro erigi, ac pro minere, vel pro fidem habere, vel pro valere, vel pro plenum esse accipi variis veterum confirmat testimoniis. Pro horrere ex Titinnio in veliterna. *Atque illud ante partum comedet, fundi stabunt sentibus.* Ex Cęcilio in *S*yracusiis. *Hic amet, familiæ fame pereant, ager autem stat sentibus.* Ex hoc quoque Vergilij loco in quo stare pro horrere intellexit. At pro plenum esse ex Lucillio 5. Sat. præterea stat sentibus pectus, quem locum Gellius sua interpretatione illustrarat. Ex *S*isenna cœlum caligine stat. Quæ ipse profert ex M. Varrone inepta sunt. Itaque sic constituo in *S*isenna cœlum stare calligine dixit, cum calligine quadam siue nube obtegeretur. *S*ic grammaticis quasi de concilij sententia visum est, Vergilium post Ennium stare puluere cœlum dixisse cum conflictu ipso ac certaminis ardore

dore siue vt idem dixit Ennius cum pes pedem, arma tererent arma, puluis ferretur seorsum eoque quasi quadam caligine cœlum obnuberetur.

Vnde dicti sint lycospadæ equi ex Strabone, manum intra pallium continere, comam per gradus formare.

CAP. V.

VT ex Plutarchi Quæstionum conuiualiũ lib. j. didici, equi lycospadę vel à fręni genere dicti sunt quod Gręci λυκὸν, nos lupum siue lupatum vocitamus, quo equos ferocioris naturæ cohiberi mos erat, vel quod fuga se lupis eripuissent: Equorum quod genus pedum pernicitate ac valentia præstarę maxime videbatur. At puto eiusmodi nomen ex hac fabula manasse, quæ Strabonis lib. de Geographia v. refertur. Non pudebit interpretis Latini verba exscribere, quoniam id temporis codex Græcus penes me non est *Fama est* (inquit) *in venetis scilicet celebrem admodum fuisse quempiam, qui in faciendis vadi-*

monijs studio non mediocri teneretur, qua ex re & hominum iocis caperetur. Is igitur in venatores fertur incidisse qui irretitum haberent lupum, & illis per iocum rogitantibus vellet ne pro lupo vadem se constituere vt illata ab eo damna persolueret, sic è retibus belluam dimissures fide iubere sese confessus est. Emissum deinde lupum magnum equarum armentum agitantem nullo notatum cauterio ad fide iussoris stabulum adduxisse: Eum recepta gratia equabus lupi notam inusisse, & inde lupiferas nominasse equi velocitate magis quam pulchritudine præstantes. Cuius successores & signum & nomen equarum generis seruasse, vtque solis ijs stirps ipsa perduraret fœminam nullam alienare consuesse, equarum hinc præcipuæ celebritatis progeniem extitisse. Etiam hoc capite insignem veterum morem tangam, quem obseruabant qui forensia stipendia auspicabantur, de quo pauca Turnebus aduersar. 7. Hi ergo qui foro nomen darent modestiæ ac pudoris ostentādi causa, anno primo brachium toga cohibebant Annæus Seneca declamat. v. *Apud patres nostros* inquit, *qui forensia stipendia auspicabantur, nefas putabatur brachium extra togā exerere.* M. Tullius in Cœliana. *Nobis quidem olim an-*

Equa lupi fera.

Tyrones fori anno primo brachium toga cohibebant

nus erat vnus ad cohibendum brachium toga constitutus, & vt exercitatione ludoque campestri tunicati vteremur. Sic Græci manus intra pallium continebant. Quintilianus lib.orat.inſt.xij. *Quapropter mihi falli multum videntur* (inquit) *qui ſolos eſſe Atticos credũt tenues & lucidos et ſignificantes, ſed quadam eloquentiæ frugalitate contentos, ac ſemper manum intra pallium continentes.* Sic antiquitùs Homeri ſtatua manibus pallio contentis exprimebatur At horum non minus mos pudendus qui comam in gradus frangebant, quàm eorum laudandus qui fori tyrocinium ineuntes verecundiæ ac pudoris ergò intra togam bracchia continebant. De iſto circa comam nimio & præſtigioſo cultu, Tranquillus in Nerone ſic ait, *Circa cultum habitumque adeo pudendus, vt comam ſemper in gradus formatam, peregrinatione Achaica etiam pene verticem ſummiſerit ac plerunque &c.* Quintilianus lib.j. cap xj. *Igitur vt velli & comam in gradus frangere, & in balneis perpotare quãlibet hæc inuaſerint ciuitatẽ, non erit conſuetudo.* Martianus Capella lib.de nuptiis Philologiæ 4. crines ea forma cõpoſitos Dialecticem habere fabulatur. Eius hæc

Homeri ſtatua.

Coma in gradus.

verba sunt. *Cui crines tortuosi decentique inflexione crispati, & nexiles videbantur: qui tamen deducti per quosdam consequentes gradus ita formam totius capitis circulabant, vt nihil deesse cerneres, nihil superfluũ detineres.* Vt ergo apud Romanos crines in gradus: sic in anulos comere moris fuit: à qua comendi capitis religione quantum sibi cauere debeat Orator hæc Quintiliani verba docent. *Sed me hactenus cedentem nemo insequatur vltra, do tempori ne nigra toga sis non serica, ne intorsum caput, non in gradus atque anulos comptum, cum in eo qui se non ad luxuriam ac libidinem referat eadem speciosiora quoque sint quæ honestiora.* Hæc leuia sunt fateor, at qui floccifeceritis mihi leuis, vanus ac nugas erit.

Coma in anulos digesta.

Restituta quædam Portuniani vetustißimi auctoris fragmenta, leges cibariæ, sumptuariæ, valuipatæ, valuifragæ, solennia & Parentetica fercula, Paracœnium.

CAP. VI.


Oannes Salesberienſis vir fuit doctrinę ac ingenijnon vulgaris & inelegantis. Ille eo tempore quo liberales diſciplinas didiciſſe illiberale erat,librum ſcripſit de curialibus nugis & veſtigiis Philoſophorum,in quo & ſi iudicij partes quaſdam requiras, ingenium tamen & lectionum varietatem nō requiras. Hunc librum ille partim ex iis qui è litterarum naufragio ſuperſtites emerſere,partim ex ijs quos deſideramus auctoribus concinnauit. Inter eos quos periiſſe præcipue dolendum eſt, doleo Portunianum auctorem,vt ex eius fragmentis coniicio antiquiſſimum & aſſiduum ac locupletem, non proletarium ſcriptorem,ad portum appellere vel eam tempeſtatem effugere non potuiſſe: iniicere mihi huius deſiderium eius fragmēta, quę in Salesberienſis Polycratico extātia, ſtudioſus antiquitatis colligo,& in vnū corpus voco. Cap. vj lib. viij. *Nam & abundantiam cibi & potus habet, & quaſi copiæ cornu diſpenſas omnia, ſic parcit vt effundat, ſic effundit vt parcat, & quam habet penes ſe rationem non negligit quidem,*

Io Salesberienſis.

Portumiani laus.

Sed vt Portunianus *ait, rationem non ostentat impensæ.* Paulo post. *Et quidem conuiuiorum ciuilium teste* Portuniano, *regula est vt iis plurimum pro more condigentium liceat, Sobrietate hilari non soluta*. Pulchra mehercules regula quam velim in ciuilibus conuiuiis diligentissime obseruari, quæ nihil magis turbat, & distrahit ac licentia & libertas nimia, nihil ita confundit & pessumdat ac immodesta & intempestiua cibi vinique libido Eod loco. *Nihil est quod certiorem aut citiorem inducat caliginem iugi ingluuie. Quia vt ait* Portunianus *edacitas cibos terit, sed oculos vorat.* Itaque lurcones, commœdones, ventres cauete à cæcitate, exhaurit oculos edacitas & malè cum eo agitur qui gustu non visu sapit. Audiatur etiam Portunianus *Nemo ciuiliter conuincitur, nisi qui sibi in cibo & potu frugalitatis & modestiæ præscribit formam.*

Edacitas vorat oculos.

Cap.vij.lib. viij.

differunt tamen quod cibariæ gulam iugulant, sumptuariæ altimodam vt ait Portunianus *luxuriam*. In M.ss. legitur *Altrimodam* forsitan à variis alendi modis. Sic Macrobius lib. Saturnalium iij. cap.xvij.sump-

Cibariæ & sumptuariæ leges.

tuarias leges esse scripsit, quæ sumptibus, cibarias quæ gulæ præ cribunt. Deinde ex eodem *Hoc autem magnæ libertatis laudibus efferet, quod cum multæ leges de cœnis & sumptibus ferrentur ad Populū, castigatißimæ illi⁹ vigor diu obtinuit quæ nihil obscœnū patitur quia nihil probat occultū. Præcepit enim vt patentibus ianuis pransitaretur, & cœnitaretur, vt sic oculis ciuium testibus factis luxuriæ modus fieret, hoc autem vno trito probat* Portunianus *quia apud Populum cāstigatum & posterioris respectu aureum laudi erat frugalitas, & paupertas non poterat esse contemptui vel rubori*. Infra hæ leges quæ iuberent vt patentibus ostiis pransitaretur & cœnitaretur, Eleganti vocabulo *valuipatæ siue Valuifragæ* appellantur quod alias me nō legisse memini. *Cæterum leges illæ* (inquit) *valuipatæ siue valuifragæ licet* Portuniani *iudicio optimæ fuerint, obstinatione tamen luxuriæ vt victorum inuicta concordia nullo abrogante irritæ factæ sunt*. Eod. infra. *Secus egisse Caium Cæsarem pace vrbi reformata refert* Portunianus *qui sumptuariæ legis insistens, vestigio domum ciuilem, potiùs quam imperatoriam in mensa tribus solennibus fulmentus siue ferculis statuit esse contentam, dum tamen*

Valuipatæ & valuifragæ leges.

bellaria parentetica pro necessitate aut dignitate personarum, aut exercenda liberalitate aut solennitate diei primis mensis licuerit immiscere. Notandum quod dixit solennia & parentetica fercula, quod vix ex alio auctore discas. Ea igitur vocabula sic ex Portuniano Ioãnes Salesberiẽsis interpretatur. *Solennia* (inquit) *pulmenta sunt, quæ in omnes pertranseunt & à Græcis* καθόλικα *nominantur:* παρεντέλικα *vero quæ ex causa necessitatis aut vrbanitatis in præceptam aliqua ratione veniunt partem, eo quod solennibus particulariter soleant interponi.* Miror id à Iusto Lipsio pretermissum qui dedit operam, vt priscorum in conuiuiis solennitates è tenebrarum & vetustatis situ eruerentur, in quo homine nescias mireris magis elegãtiam vel eruditionem, ita in eius monumentis vna cum altera certat. pretermisit tamen. Eod. *Nam & ipse famosam imo infamẽ fecit cœnã, & anticœniũ (vt ait Portunianus) Paracœnium tanta instruxit luxuria, vt non modo cœnæ ciuilis sed etiam Aegiptium luxum excederet.* A latinis ante cœnam vel ante cœnium dicitur quod in conuiuii antecessum proponebatur vt Macrobius refert ante cœnam Metelli Pontifi-

Solennia fercula.


Parenteticа formula.

Paracœnium.

cis Echinos,ostreas crudas quantum vellent propositas: id Portunianus addita propositione Græca *paracœnium* vocat. Promulsidem quoque dici ex memoriis antiquorum didici, quod in conuiuiis apud antiquos prima sitis mulso mitigaretur. Hæ sunt exuuiæ ac relliquiæ elegantissimi auctoris, quas ego antiquarum rerum studiosos cœlare non potui. Dent alij operam vt ille ex bibliothecarum pedore ac squallore in lucem proferatur. Deo ita videatur.

Emendatus variis in locis Annei Senecæ liber de Consolatione ad Martiam.

CAP. VII.


Rimo meorum commentariorum libro ex eodem Seneca menda quædam euulsi & nonnulla vulnera pendente (quod aiunt) manu sanaui atque obduxi. Lubet quoque hac mearum lucubrationum parte veterum codicũ ope auxilioq; quędam loca tẽtare quę in vulgaribus

exemplaribus mirum in modum mutila & coinquinata sunt. cap. ix. *Non putaui futurum. Quicquam tu putas nō futurum quod multis sitis posse fieri, quod multis vides euenisse? Egregium versum*, & cætera quorum emendatio debetur ci. & disertissimo viro Iusto Lipsio Electorum cap. x. interpunctio huius loci elegantem sententiam distrahit: Itaque ex M. S. ita distinguenda & apponenda lectio est. *Non putaui futurum quicquam. Tu putas non futurū, &c. cap. x. Sæpe admonendus est animus metuere vt recessura, imo tanquam recedentia quicquid à fortuna datum est, tanquam extemplo abiturum possideat.* In M. S. *exemplum auctore possideas*. Apud Senecam non puto extare locum alium vel corruptiorem vel ad restituendum difficiliorem: Vtrique libri vitiose ac ineleganter, ex vtrisque tamen ingenua lectio eruenda est. Aliquādo legendum putaui, *tanquam exemplum sine auctore possideas*. Exemplum possidere interpretabar ipsius rei imaginem tantùm aliquam vel simulachrum possidere. Apud Tertullianum (quem ex legitimis vocabulis & formulis passim per eius scripta diffusis, audeo ipsum as-

ſerere factum, cuius in iure noſtro crebra fit mentio) libro de præſcriptionibus aduerſus hæreticos, exemplum à proprietate diſtinguitur. Eius hęc verba ſunt. *Omnia quidem dicta domini omnibus poſita ſunt quæ per aures Iudæorum ad nos tranſierunt, ſed pleráque in perſonas directa non proprietatem admonitionis nobis conſtituerunt ſed exemplum.* Malo tamen legere, *tanquam exempto ſine auctore poßideas.* Locutio ex penitiſſimis iuris fontibus hauſta, & ſimilis error à CL. V. Iacobo Cuiacio doctore meo ſublatus Obſeru.i cap.v.ex l. imperatores. D de Publican. Ex,empto ſine auctore poſſidere quid ſit conſule I.C.tos. Sane quęcunque affulgente fortuna poſſidemus, quaſi emptores nullo auctore detinemus. Itaque ſi quodam infortunio ipſa euincantur, nullum eſt auctoritatis perfugium. Ita res humanæ alternante ac colludente fortuna conuertuntur. cap.xx. *Licet mihi vaces & in moram tardat e ſenectutis nouies centenos de noſque percenſ. as annos.* M. S. codex longe integrius & nitidius. *Licet mihi vades & in memoriam traducta Senectutis, viros nomines centenos, denoſque percenſeas annos.*


Exemplũ. proprietas

Exempto ſine auctore poſſidere.

Qui non videt ita Senecam ſcripſiſſe, eum puto medio ſole lucem quærere. Comprimo me, ita mihi Deus ſemper propitius ſit, ſi mihi per illa quibus nos homunciones inuoluimur negotia liceat: ſi quando honeſtè ac laudabiliter otio abuti póſſim nihil prætermittã quò Seneca Senecæ reddatur, & terſior puriorque vbique legatur. Ita Deo opt. Max. videatur.

Explicatum marmor in Sicilia inuentum de vectigali fixo mobilíque. Mos veterum de conuertendis vectigalium odioſis vocabulis in alia conſueta. De ſuper indicto.

CAP. VIII.



Vodam die cum me principalium ſtudiorum faſtidium cœpiſſet, illorum more feci quibus cum patria inuiſa eſt, ad alias regiones oblectandi reſſciendiq; animi cauſa diuertunt: Ita cũ mihi iuris ciuilis ſatias eſſet, lubuit eorũ lucubrationibus languẽtes ingenij vires

excitare, qui nuper de situ orbis & gentium moribus scripsere. Quos cum in ea parte percurrerem qua de Sicilia sermo erat, reliquis raptim perlectis, hæsi tantum in inscriptione cuiusdam marmoris, quod in ea insula inuentum ferebatur, in quo hæc verba insculpta erant.

S. P. Q. R.

Seruio Fuluio P. Calphurnio Coss. vrbem Messalinam à prouinciæ coloniæ tributis cuiuslibet vectigalis fixi mobilisque pondere, per omnia secula liberauit.

Dubitabam igitur quid esset vectigal fixum, quid mobile, nec enim eam vectigalium diuisionẽ alibi fieri vidi vel memini. Tria ergo ex M. Varrone, Asconio Pædiano cæterísque assiduis non proletariis scriptoribus vectigalium esse genera didiceram portorium scilicet, scripturam, arationem siue decumam, temerarium quoque tributũ dici quod nulla habita personarum rerumuè ratione arguente Gallico, siue quolibet alio tumultu indiceretur. Si mihi liceat quid sentiam profari, hæc erit mea sententia, fixũ vectigal est quod rebus immobilibus

bus pendebatur, ſicut illud quod fiſco vel Reipublicæ debebatur ex vænalitiis ſiue mercibus, quæ exportabantur ſiue vehebantur & id propriè vectigal dicebatur, apud nos proprio & ſingulari vocabulo *Traite-foraine*. Qui ſcripſere eiuſmodi vectigal apud Romanos nō fuiſſe, velim ab his ſciſcitari quomodo intelligant l.vlt.§.diui quoque Marcus & Commodus ff. de publicanis & vectigalib. Ego quidem accipio de peregrinis mercibus quæ importantur, vel exportantur: Sicut Suetonius Diuum Iuliū inſtituiſſe refert, pro quibus octaua fiſco portorij nomine inferebatur, & qui colligebant Octauarij dicebantur l 2. C. de Enuchis l.7. & 8. eod. de vectigalib. & commiſſis *Octauarij* Sic ex fructibus ſiue rebus mobilibus quæ venum ibant, octaua apud nos antiquitus fiſco inferebatur, quæ quia potius ſubſidij & auxilii loco, quam tributi iure daretur, *auxiliū ſiue, ayde, vocitarunt*. Sicut apud Romanos quinquageſima rerum vænalium redigebatur in fiſcum. Quoniā inſtitutus de vectigalibus ſermo eſt, addam quod aliquando miratus ſum imperatores nomina quædam tributorum

ſuſtuliſſe non tributa, cuius rei aliam in mundo rationem nō habeo, quàm quod varia & noua tributorum genera plebi inuiſa infeſtáque ſint, antiqua non item: Idcirco cum ſuperindicti nomen graue ac odioſum eſſet, deletur l. vnica C. de ſuperindicto, & in eius locum canonis vocabulū ſufficitur, l. I. C. Th. de indictionibus in qua ſic Honorius. Et Theodoſi⁹. *A. A. Omnes omnino quocunque ex titulo poſsidentes, quod delegatio ſuperindicti nomine videtur amplexa velut canonem cogantur inferre, & in qua ſit dubietas vt id potius canonis vocabulo poſtuletur*, Quidam ab extraordinariis indictionibus immuneserant, velut à ſuperindicto quod in Canonis vocabulum mutatur ne quem priuilegium excuſet. Sic apud Caſſiodorum tertiarum nomen in tributi appellationem trāſit lib. Variar. j. Epiſtola XIV. in qua ſic Theodoricus rex ait. *Et ideo præcelſa magnificentia tua quod à Lathalienſibus infereba tur genus tertiarum, faciat annis ſingulis in tributaria ſumma perſolui, nec poſt ſuper hac parte ſupplices patiantur aliquam quæſtionem. Quid enim intereſt quo nomine poſſeſſor inferat, dūmodo quod ſine diminutione debetur exſoluat?*

Superindictum in canonis vocabulum mutatur.

Tertiarū nominum

Ita

Ita & illis suspectum tertiaru mnomen auferimus, &c. Dion refert, xlij. lib vt Cæsar Asiã publicanis leuaret, vectigalia in tributi collationem transformasse. Apud nos antiquitùs, cùm vigesima rerum mobilium, quæ per cottas & lagenas vænum darentur, redigeretur in fiscum, à Narbonensi prouincia impetratum est anno M.CCCC. lx. vt pro qualibet libra carnium, ceu piscium qui minutatim & per partes væniirent, nummus Parisiensis lueretur. Hoc itaque vectigal quia à veteri parum differret, *Aequi-pollens siue Aequi-ualens dixere.*

Quæ sit mea sententia de quodam Pauli Apostoli loco, in tempestate crines precidere. Mos Veterum ex Synesio, ingruente naufragio.

CAP. IX.

L



Nter periculoſas tempeſtates ac procellas, quarum mentio fit in Actis Apoſtolorum cap. xvij. Paulus deiectos hac oratiũcula metu ac formidine naufragii, ſuorum vectorũ animos conatur erigere. Διὸ παρακαλῶ ὑμᾶς προσλαβεῖν τροφῆς, τοῦτο γὰρ πρὸς τῆς ὑμετέρας σωτηρίας ὑπάρχει. οὐδενὸς γὰρ ὑμῶν θρὶξ ἐκ τῆς κεφαλῆς πεσεῖται.

In Theologorum ſcholis receptum eſt hæc vltima Pauli verba, quaſi prouerbii loco dici: ijs enim verbis ſignificari quẽlibet ne minimam quidem alicuius rei iacturam facturum. Equidem ad Gentilium morem Paulus videtur alludere, qui vrgente tempeſtate, ac nulla ſpe certa ſalutis affulgente, capillos ſoliti erant tondere. Hinc Nonius Marcellus ait ſeruos qui manu mitterentur, caluos fieri conſueuiſſe vt ſeruitutis, ſicut tempeſtatis iniuriam viderentur effugiſſe. Eius hęc verba ſunt. *Qui liberi fiebant ea cauſa calui erant, quod tempeſtatem ſeruitutis videbantur effugere, ſicut naufragio liberati ſolent.* Petronius Arbiter multò diſertiùs in Satyrico. *Vnus forte* (inquit) *ex vectoribus qui acclinatus lateri nauis exonerabat ſtomachum nauſea, no-*

tauit sibi ad Lunam tonsorem intempestiuo inhærentem ministerio, execratusque omen quod imitaretur naufragorum vltimum votum in cubile reiectus est. Paulo post euidentiùs. *Ergo illi qui sunt qui nocte ad Lunam radebantur, pessimo medius fidius exemplo: audio enim non licere cuiquam mortalium in naue neque vngues, neque capillos deponere, nisi cum pelago ventus irascitur.* Eam ob causam Iuuenalis nautam vertice raso dixit, quem in mari sæpissime pericula & naufragia inuenissent. Eius hi sunt versus Sat. xij.

Malum omen capillos in naue sedato pelago pracidere.

Nauta vertice raso.

Tunc stagnante sinu gaudens ibi vertice raso,
Garrula securi narrare pericula nauta.

Et quod Petronius vngues deposuisse adijcit, id meus Scaliger vir nunquam satis laudatus obseruauit, apud Propertium veteres deprecandæ tempestatis causa factitasse: hoc in loco.

Huic fluctus viuo radicitus abstulit vngues.

Paulus itaque dubios salutis vectores ad hortatur vt cibum sumant, non eam fore iactationem vt deponendi sint capilli pollicetur. Hæc est igitur hac de re mea sententia. Preterea ex Synesio Ptole

Vngues deponere.

maidis Episcopo didici, vrgente tempestate ac permiſſa ludibrio ventorum rate vectores aurum, vel quicquid pretioſum penes ipſos erat, annectere corpori conſueuiſſe, vt ſi Turbo funeſtus, vel exitioſus Aquilo ad latētem ſcopulum nauem egiſſet, ſicque obruerentur, eiecta ad littus cadauera ſepulchrale pretium ferrēt. Eiuſque moris hęc ab eo ratio ſubiicitur. ὁ γὰρ προσυχὼν καὶ κερδάνας νόμους Ἀδραστείας αἰδέσεται, μὴ οὐχὶ μικρόν τι μέρος ἀποδάσασθαι τῷ χαρισαμένῳ τὸ πολλαπλάσιον. id eſt. Nam quicunque in illud ſcilicet cadauer incidit lucrumque fecit leges Adraſtiæ reuerebitur, ne non paruam aliquam cum eo diuidat qui decuplum ipſi largitus eſt.

Illuſtrata l. eorum C. de Maleficis & Mathematicis. Modus auertendæ grandinis fulminis, rubiginis & Erucarum. Quæ vis eſſet magici Carminis.

CAP. X.


Lim familiaria fuere rustici cis quædam remedia quibus ad auertendum fulmen, grandinem, rubiginem, erucas, cœterasque rei rusticæ pestes vtebantur, quibus humana lex locum fecit, diuina non fecit. Christiani nugas id genus abhorruere penitùs, nec enim aliunde earum origo, quàm ex magicis susurris, humanæ leges noxias sustulere, innoxias & insontes ab accusatione ac reatu vindicauere. Imperator Constantinus in l. eorum C. de Maleficis & Mathematicis, *Nullis vero criminationibus* (inquit) *implicanda sunt remedia humanis quæsita corporibus, aut in agrestibus locis innocenter adhibita suffragia, ne maturis vindemijs metuerentur imbres, aut ventis grãdinisve lapidatione quaterentur, quibus non cuiuscunque salus aut æstimatio læderetur, sed quorum proficit actus ne diuina munera & labores hominum sternerentur.* Per remedia humanis quæsita corporibus, intelligo carmina quædam, quibus antiquitùs & sanguis sisti credebatur, & ægris medela præstari.

Apulcius in Apologia qui locus maximè huic lucem facit, *Veteres quippe medici* (inquit)*etiam carmina, remedia vulnerum norant, vt omnis vetuſtatis certiſsimus auctor Homerus docet, qui facit Vlyſsi de vulnere profluentem ſanguinem ſiſti cantamine. Nihil enim quod ferendæ ſalutis gratia fit, criminoſum eſt.* Hinc etiam illud extat Vindiciani comitis Archiatrorum, cuius hæc de carmine extat ſententia.

Carminis vis.

Gramine ceu malis ægro præſtare medelam,
Carmine ceu potius: Namque eſt res certa ſaluti,
Carmen, ab ocultis tribuens miracula verbis.

Vlpianus in l. i. ff. de variis & extraordinariis cognitionib. huiuſmodi remedia inter medicinæ genera eſſe negat. T*ametſi* (inquit) *ſint qui hæc ſibi profuiſſe cum prædicatione affirment.* Quæ vero Conſtantinus imperator dixit, in agreſtibus locis innocenter adhibita ſuffragia, ea ſoleo interpretari, quæ apud ruſticos recepta ſunt auertendæ grandinis fulminiſque cauſa. Vt ex Palladio didici contra grandinem panno ruſſeo molam cooperiri, cruentas ſecures contra cœlũ

Mos auertendæ grãdinis.

minaciter leuari, tum omne horti spatiū alba vitæ præcingere: ex Columella colonos priscos nocturnas aues, mali ominis auertendi caussa consueuisse cruci, ex Apuleio foribus affigere. Idem Columella de huiusmodi suffragiis in libello de cura hor. sic ait.

Hæc ne ruricolæ paterentur monstra salutis,
Ipsa nouas artes varia experientia rerum
Et labor ostendit miseris, vsusque Magister *Mos auertenda tēpestatis.*
Prodidit agricolis ventos sedare furentes,
Et tempestatem Thuscis auertere sacris.
Hinc mala rubigo virides ne torreat herbas,
Sanguine lactentis Catuli placatur & extis.
Hinc caput Arcadici nudum cute fertur Aselli,
Tyrrhenus fixisse Tages in limite ruris.
Vtq; Iouis magni prohiberet fulmina Tarchon,
Sæpe suas sedes præcinxit vitibus albis.

Ex Tuscis Hetruriæ populis in Italiam auguriorum disciplina & harum superstitionum profluxit origo. Ab his Itali edocti sunt sanguine lactentis catuli Robiginem placare. Ex M. Varronis & Sexti Pompei libris accepi, Romanos quendam Robigum Deum coluisse, eique septimo Cal. Maj diem festum instituisse, *Robigo.*

quem Robigalia vocitabant: Et quoniã Robiginem crederetur auertere sacrificasse. Erat quoque dea quæ Robigo dicebatur. Tertullianus de spectaculis. *Post hunc Numa Pompilius Marti & Robigini fecit: Nam & Robiginis deam finxerunt.* Et hęc est quam catulicidiis placari Collumella præcipit. Longè ineptior & stolidior est Tagetis religio, qui nudatum cute caput Asini, in ruris limite auertendæ vel robiginis vel tempestatis gratia collocabat. *Tages.* Tages apud Tuscos aruspicinæ auctor summus, de quo M. Tullius lib. ij. de diuinat. Et Festus qui in commentariis de verborum significatione scripsit eum habitum fuisse Genij filium, & nepotem Iouis, & Aruspicii disciplinam dedisse duodecim Ethruriæ populis. Plutarchus in Symposio eos qui grandinem procurarent, eam talpæ sanguine vel mulieris pannis obsoletis amoliri, testatur. Huiusmodi superstitionum vt in Italia Tages, & Tarchon auctores fuere. Sic Cleonæ Philosophi quidam, de quibus sic Clemens Alexandrinus Stromate quinto. *Iam vero* (inquit) *aiunt*

Magos qui sunt Cleonæ obseruantes sublimia nubium, quæ erant grandines, fulgetra canticis & sacrificiis depellere. Quod si forte iis quandoque defuerit animal, suo cruentato digito sacrificant. Mantinica quoque diotima Atheniensibus qui sacrificauerant ante pestilentiam effecit vt morbus differretur decem annis.

Eos nubium obseruatores quibus Cleonæ prouidendæ propulsandæque tempestatis prouincia delegata erat, Cleonenses χαλαζοφύλακας appellabant, vt ex A. Seneca lib. natural. Quæstionum iiij. didici. Eius hæc verba sunt. *Obseruatores nubiũ Apud Cleonẽses*

Illud mirabile Cleonæ fuisse præpositos χαλαζοφύλακας speculatores futuræ grandinis. Hi cum signa dedissent adesse iam grandinem, ecquid expectas vt homines ad penulas discurrent, aut ad floreas: Imo pro se quisque album agnum immolabat, alius pullum. Protinus autem illæ nubes aliò declinabãt cum aliquid gustassent sanguinis. Idem paulo post de cruentato digito quod Clemens Alexandrinus. *Et ne*, inquit, *auidas aut crudeles existimes nubes digitum suum bene acuto graphio pungebant, & hoc sanguine litabant. Nec minus ab huius agello grando se auerte-*

bat, quam ab illo in quo maioribus hostiis decorata erat. Idem quoque scripsit in illos reddita iudicia Cleonæ fuisse, si illorum negligentia vineæ vapulassent, vel segetes procidissent. Empedocles ventorum prohibitor dictus est, vt Clemēs ait, quod ventos sedaret. Pudet eius verba referre quia mihi Græci codicis copia non est. Pausanias in Corinthiacis refert eos qui Methana incolunt, contra noxios Africi flatus quibus vites vrebantur, eo remedio vsos. *Africus* (inquit) *è Saronico sinu agrum & vineas perflans, nouos pampinos acriter torret, id quoties accidit vento etiamnum spirante, viri duo Galluum Gallinaceum albis alarum pennis in contrarias partes distractum lacerant, ac deinde dimidiam vterque Galli partem præferens, cum cursu vites ambiunt, Mox in eum ipsum locum vnde currere cœperūt rursus congressi, auem ibi defodiunt. Hoc ab illis excogitatum est tanquam presentissimum remedium aduersus noxios Africi flatus.* Paulò post. *Equidem ipse vidi homines qui sacris & cantibus grādinem auerterent.* Tarchon alba vite sedes, id est possessiones suas præcinxit, vt tempestatis propulsaret iniuriam.

Remediū contra Africi flatus.

Contra erucas noxium animantium genus, quod in apricis regionibus post pluuias maximè nocet, excogitatũ est vt mulier mulier muliebria patiens, passis crinibus, nudísque pedibus tèr arcam circumiret. Collumella.

Dardaniæ veniant artes, nudataque plantas
Fœmina, quæ iustis tum demum opera Iuuentæ
Legibus, obscœno manat pudibunda cruore:
Sed resoluta sinus, resoluto mœsta capillo,
Ter circum areolas & sepem ducitur horti
Quæ cum lustrauit gradiens, (mirabile visu)
Non aliter quam decussa pluit arbore nimbus,
Vel teretis mali, vel tectæ cortice glandis
Voluitur ad terram distorto corpore campe.

Remediũ contra Trucas.

Quæ à Latinis erucę, à Græcis κάμπαι dicuntur. Ex Democrito istud remedium inuentum: infra in prosa de cultu hortorum Columella sic ait, *Sed Democritus in eo libro qui Græce inscribitur* περὶ ἀντιπαθῶν *affirmat, has ipsas bestiolas enecari, si mulier quæ in menstruis est, solutis crinibus & nudo pede vnamquamque aream ter circumeat: Post hoc enim decidere omnes vermiculos & ita emori.* Eiusmodi remedium Democritus à Dardano insigni mago didicerat, cuius com-

mentarios diligenter perlegerat. Plinius lib.30.cap.10.& ob eam rem à Columella Dardaniæ artes dicuntur. Multa id genus referuntur à D. Augustino in libro de doctrina Christiana & lib. de natura Dæmonum: à Plinio naturalis hist. lib. xviij.cap.ij. Addi hic quoque debuerat quod de manali lapide scripsere Sextus Pompeius & Fulgentius, quo ad eliciendas pluuias antiqui vtebantur. Sed me alio scribendi ardor rapit. Hęc omnia eius generis remedia vetita sunt concilio Anchiritano, Laodicensi Toletano &, Agathensi. Vtrum vis quędam illis sacrificiis & remediis inesset, Seneca his verbis docuit. *Rudis adhuc antiquitas credebat & attrahi imbres cantibus, & repelli, quorum nil posse fieri tam palam est, vt huius rei causa nullius Philosophi schola intranda sit.* Aliud non adderem & si mihi darentur Persárum montes qui esse aurei perhibentur.

Quid apud Petronium locus. Rumpere societatem, inimicitias per præconem denuntiare, amicitiam more maiorum renuntiare.

CAP. XI.



Onos sit auribus, & liceat nobis sine inuidia quid sit apud Petronium locus interpretari, vbi pædicator quispiam socio in stupro fratris, id est cynedi siue pulli sui deprehenso, quasi nuntium remittit & diuortium facit. *Quoniam* (inquit) *fidem scelere violasti, & communem amicitiam, res tuas tolle ocyus, & alium locum quem polluas quære*. Locus hic pro turpi & obscœna illa corporis parte accipitur, in qua masculam auersamque Venerem subagitarent. Ita in carmine libero manifestè accipitur.

Quod virgo prima cupido dat nocte marito,
Dum timet alterius vulnus inepta loci.

Ex his quoque versibus constat locum veteres pro muliebri vsurpasse naturã. Q. Serenus Samonicus de præceptis medicinæ inquit, *Loci muliebres.*

Obſcœnos ſi pone locos noua vulnera carpent,
Horrentum manſa curantur fronde ruborum.

M. Cato in lib. de re ruſtica. *Etſi mulier eo lotio locos fouebit, nunquam ij viroſi fient.* Marcus Varro de lingua Latina 4. inter alias loci ſignificationes, locos muliebres dici ait, in quibus initia naſcendi conſiſterent. Sic viri doctrina & eruditione præſtantes τόπους apud Dioſcoridem acceperunt hoc loco.

μαλάσσουν τοὺς τόπους καὶ ἀναστομοῦν.

Ego imitatus ſum, in poemate meo de amoris imperio, quod ego Gul. Goſſellino Iſſæo, Et Ioa. Bonefonio viris, quos omnes muſæ amant, dedi, dicaui.

Nudique pugnant, tutiùs ſic cernitur.
Ferrum Cupido neſcit, & ſecuriùs
Inermis arctos hoſtis irrumpit locos.

Vetus Gloſſarium: loci muliebres. ὑπερκόλπος μήτρας. Hæc Petronij verba videntur eſſe ſolennia in rumpendis & diſſoluendis eiuſmodi impuris & flagitioſis ſodalitiis. Vt contrahendæ ſocietatis, ſic etiam diſſoluendæ ſunt quidam modi. Modeſtinus I.c.tus D. pro ſocio.

Modi incundæ & diſſoluendæ ſocietatis.

Societatem, inquit, *coire & re & verbis & per nuntium poſſe nos dubium non eſt : Diſſo-*

ciamur renuntiatione, morte, capitis diminutione & egestate. Equidem renũtiatione rumpitur, puta si quis cognitis socij dolis & circumscriptionibus, vel damnosę societatis tędio, societatẽ renuntiet. Extat velut quędam distrahẽdę societatis formula apud eundem Petronium. *Rursus in memoriam*, inquit, *reuocatus iniuriæ. Ascylte inquam intelligo nobis conuenire, non posse. Itaque communes sarcinulas partiamur, ac paupertatem nostram priuatis quæstibus temptemus expellere: Et tu litteras scis & ne ego quæstibus obstem aliquid aliud promittã.* Apuleius Milesiæ fabulę lib. x. *At istud iam neque æquum ac ne humanum, fidem minuere quidem cottidie, ac partes electiores subripere. Atque his diuenditis peculium latenter augere, de reliquis æque vindicare diuisionem: Si tibi denique societas ista displicet, possumus omnia quidem cætera fratres manere, ab isto tamen nexu communionis discedere.* At vero vt societas, sic etiam amicitia renuntiabatur, & indicebantur capitales & immortales inimicitiæ. In libris Epistolarum Synesii Ptolemaidis Episcopi, legi Amasidem Polycrati adhuc fœliciter agenti per præconem amicitiam renuntiasse. Sic ille loquitur.

Formula rum penda societatis.

ἀλλ' ὡς εὐτυχοῦντι κηρυκαπέμψας, τὴν φιλίαν ἀπείπατο, δῆλον ἐποίησεν ὅτι κἂν ἐδάκρυσεν, εἰ προύλαβεν ἡ συμφορὰ τὴν ἀπόῤῥησιν.

Id eſt, attamen quibus verbis fœliciter agenti amicitiam miſſo præcone renuntiauit, quod etiam illachrymatus eſſet, ſi calamitas renuntiationem anteuertiſſet. Mos quoque fuit Romanorum, ſi alicuius ſuſpectam & inuiſam haberent amicitiam renuntiare. Suetonius Tranquillus in Caligula. *Obtrectatoribus etiam qualeſcunque & quantacunque de cauſa nactus eſſet, lenis & ideo innoxius vt Piſoni decreta ſua reſcindenti, clientulas diù vexanti non prius ſuccenſere in animum induxerit quam beneficiis quoque & deuotionibus ſe impugnari comperiſſet. At ne tunc quidem vltra progreſſus quã vt ei more maiorũ amicitiã renuntiaret, mandarétque domeſticis vltionem ſi quid ſibi accideret.* Cornelius Tacitus de eodem Germanico libro Annalium 2. *Componit* (inquit) *Epiſtolas queis amicitiam ei renuntiauit.*

Domo interdicere.

Qui renuntiabant amicitiam domo interdicebant, idque erat ex ſolennibus dirimendarum amicitiarum. Idem Tacitus Annalium v. *Sed Cæſar miſſis ad Senatum litteris diſſeruit morem fuiſſe maioribus*

quo-

quoties dirimerent amicitias, interdicere domo eumque finem gratiæ ponere.

Senecæ epiſtola l.vij.à mendis vindicata: eiuſdem de Conſolatione ad Martiam varij loci reſtituti.

CAP. XII.

NEc meus Apollo fiuerit, vt id tentẽ in aliis auctoribus quod in Seneca: Nec vnquam tàm durum os habui vt id auſus eſſem, niſi mihi in manu, liber manuſcriptus fuiſſet, quo ego tanquam myſtagogo vſus ſum. A page illos ardeliones & futiles ſcriptores, quibus vnius ſyllabæ immutatio triumphus eſt, quique in litteris tãquam cenſores pro ingenio ac libidine, quicquid non ſatis intelligunt vel delent vel interpolant. Hæc igitur mihi cautio erit, ne quid immutem præter ea, quę M. S. codex mihi fidem fecerit, vel omiſſa, vel contaminata fuiſſe.

EPISTOLA 57.

Sed iam me ſic ad omnia iſta durani, vt audire vel pauſarium poſſim voce acerbiſſima Remi-

gibus modos dantem. Pausarium vt vocabulum vile ac sordidum agnoscit Erasmus, nec miror cum huic nullus optimæ notę auctor locum fecerit. Ex meo libro lego *Palinurum*. Quis ille sit, ille nouit cui Vergilius notus est. Deinde illud. *Leue illud in genium nec se adhuc reduxit retrorsus, quod ad vocem ex accidenti erigitur*. In M. S. *quod ad vocem & accidentia erigitur*, longe meliùs Postremò *quid ergò non aliquando commodiús est & carere conuitio*. Addit vetustus *& carere conuicto*. Ego puto legendum & carere conuiuio & carere conuitio? His enim verbis vetusverbum tangitur quod extat apud Ausonium.

Palinurus.

Sex enim conuiuium.
Cum rege iustum si super conuitium est.

Prouerbium de numero conuiuarum.

Numerus enim conuiuarum vltrà septem immensus, & immoderatus habebatur, & conuitium potiùs quam conuiuium. Hęc ego habui, quibus huic epistolæ satis esset, nunc desultoria quadam annotatione accedo ad emendationem consolationis eiusdem Senecæ ad Martiam. *Vt primum tamen (inquit) intulit tumulo simul & dolorem suum posuit, nec plus doluit quàm aut honestum aut æquo maiùs.*

In veteribus libris, quàm aut honeſtum erat Cæſari, aut æquum matri. Longè vt puto elegantiùs. Liuiæ refertur exemplum, quæ ſtatim vt Druſum filium in expeditione contra Germanos victorem intulit tumulo, dolorem poſuit. *Nec plus* (inquit) *doluit quam aut honeſtum erat Cæſari aut æquum matri.* Deinde. *quæ enim maior eſt amentia pœnas à ſe illicitas exigere & mala ſua augere, quam in vita ſeruaſti morum probitatem & verecundiam in hac quoque re præſtabis. Eſt enim quædam & dolendi modeſtia: Illum ipſum iuuenem digniſſime quietum quem ſemper cogitatū nominatumque faciet, meliore pones loco ſi matri ſuæ qualis viuus ſolebat hilaris & cum gaudio occurrit.* Hic locus in verbis, interpunctionibus ac ſententia peccat. Sic ex M. S. Codicibus legendus diſtinguēdus & cōiungendus eſt. *Quod enim malum amentiæ eſt pœnas à ſe ill. ex ma. ſua aug? Quam in om. vita ſeru. mor. probit. & ver. in hac quoque re præſtabis. Præſtabis etiam quandam dolendi modeſtiam. Ille idem iuuenis digniſſime quietem ſemper nominatus cogitatuſque faciat, &c.* Nihil his verbis lucidius. Eadem quoque vitia mendaque hoc loco idem Seneca patitur

quæ quoque operæ pretium est extirpare. *Vltimam illam faciem rerum premis. Illi tanquàm per se parùm horrida sit quicquid potes congeris.* Vet. libri. *Vltimam illam faciem rerum primis illatam annis quasi primum per se horrida sit quocunque potes congeris*

Per Genium meum iurarem hæc esse vera & genuina Senecæ verba, quorum illa est sententia. Vltimam inquit faciem rerum (i) mortis & funeris tempus cum puerilibus blanditiis collatum, quasi primùm horridum sit vbique contestaris: sic legendum esse fidem faciunt hæc antecedentia verba. *Non conuertisti te ad conuictus filij tui occursusque iucundos, non ad pueriles dulcesque blanditias, non ad incrementa studiorum, &c.*

Vt Catenarum dedecus extingueretur, frangi non solui Catenas. Multa de Catenis à nullo vnquam animaduersa.

CAP. XIII.



Ta quidem se res habet. Ex antiquis monumentis quędam selegi digna meheicules quæ manu emittantur, vel ob eam solam causam quod exemplis studia nostra iuuare possint. Decet enim I.ctum non modo leges nosse, verumetiam mores quos in iudiciis priuatis publicisque obseruauit antiquitas. Mos planè veterum Romanorum egregiùs & memorabilis est quo didici ijs, quibus iniquam ob causam iniectæ compedes & Catenæ fuissent vincula frangi non solui solita fuisse, vt scilicet carceris dehonestamentum, & vinculorum infamia deleretur. Iosephus belli Iudaici libro quinto de seipso, *Titus veró* (inquit) *qui cum patre aderat iustumest, inquit pater vná cum ferro etiam probro Iosephum solui. Erit enim*

Mos frangẽdorum vinculorum.

tanquàm nec initio vinctus sit, si non dissoluerimus sed inciderimus catenas: Namque id agi solet in his qui non recte fuerint vincti. Hegesippus qui Iosephi historiam κατα πόδας secutus est & potiús functus interpretis quàm scriptoris officium, sic loquitur, *Illic etiam Iosephus solui præceptus vinculis iussu imperatoris, addidit Titus vt frangerentur potiùs quàm soluerentur catenæ: Quod si frangerentur ita esset quasi non fuisset ligatus. Placuit patri securim deferri, iussit frangi catenas &c.* Frustrà sum, si quędam apud alios au ctores extant eiusmodi vestigia. Solebant etiam veteres pro dignitate & conditione personarum inijcere catenas vel ferreas, vel aureas vel argenteas. Cyprianus secundo Epistolarum ad Donatum sic scribit. *Nec intelligit miser speciosa esse tibi supplicia auro se alligatum teneri & possideri magis quàm possidere diuitias.* Alludit ad illum morem Tertullianus eius magister de cultu fœminarum, inquit. *Quanquam & aurum cuius vos gloria occupat cuidam genti ad vincula seruire referunt Gentilium litteræ.* Trebellius Pollio de fortissima muliere Zenobia, quæ post Odenati

Aureæ Catenæ.

coniugis necem orientis imperium tenuit, quæque ab Aureliano victa &triumphata est. Sic ait. *Vincti erant præterea pedes auro, manus etiam Catenis aureis, nec collo aureum vinculum deerat, quod scurra Persicus præferebat.*

Ammianus Marcellinus de Arsace Rege à Sapore capto. *Eumque effoßis oculis vinctum Catenis argenteis, quod apud eos honoratos vanum suppliciorum æstimatur esse solatium, exterminauit ad Castellum Agabanum nomine.* Quintus Curtius de Dario, *Agmen eorum tertio assecuti die, ne tamen honos regi non haberetur, aureis compedibus Darium vinciunt, noua ludibria subinde excogitante fortuna.* Ausonius in Sapientibus de Crœso.

Crœsum in amicis habet
Vinctumque pedicis aureis secum iubet,
Reliquum quod esset vitæ totum degeret.

Velleius Paterculus scripsit Antonium Artuasdem Armeniæ Regem fraude deceptum, ne quid honori deesset aureis Catenis vinxisse: Apud Dionem iocus est Claudii Imper. non inficetus, qui

Sardinium Gallum, ex Africa conuocatum dixit Romæ ſe aureis vinculis alligaturum, id eſt Senatoria dignitate. Clemens Alexandrinus Pædag. 3. fœminas ait veram pulchritudinem auro adumbrare, nec intelligere quantum in ſe delictum admittant auro ſe alligantes, καθάπερ καὶ παρὰ τοὺς βαρβάρους φασὶ, δεδέσθαι τοὺς κακούργους χρυσίῳ.

Idem καθετῆρες & Attica lingua ἁλύσεις catenas eſſe atque cenſeri in mundo muliebri ait. Hinc apud eundem & Nicoſtratus & Ariſtophanes Comici, eas inter muliebria locant ornamenta.

Catena in mundo muliebri.

ἁλύσεις, καθετῆρας, δακτυλίους βουβάλια, ὄφεις, περισκελίδας: ἐλλέβορον.

Philemon in Sinephœbo πέδην χρυσῆν dicit.

ἱμάτια διαφαίνοντα: καὶ πέδην τινα χρύσην.

Sic apud Latinos Catenæ, æque pro vinculis quibus compeditur reus vel captiuus, atque pro re muliebri accipitur. Plinius 33 nat. Hiſt. *Habeant fœminæ*, inquit, *in armillis digitiſque totis, collo, auribus, per has diſcurrant Catenæ circa latera & inſerta Margaritarum pondera. E collo dominarum auro pendeant, vt in ſomno quo-*

que vnionum conſcientia aſsit. Horatius lib 1 Epiſtolarum ad Scæuam.

Nota refers meretricis acumina ſæpe catellam,
Sæpe periſcelidem raptam ſibi flentis: vtique mox
Nulla fides damnis veriſque doloribus adſit.

Catella diminutiuè à Catena. Hîc me comprimo.

Quis ſit Nocturninus Deus, Iocus Plauti explicatus & qua in ſignificatione Regis nomen apud Antiquos Vſurpatum fuerit. Locus Collumellæ correctus.

CAP. XIIII.

REbus ſingulis certos Deos tutelæ cauſa veterum addixit religio. Deus qui præerat Nocti Nocturninus dicebatur. Itaque Soſias apud Plautum in Amphytrione ait.

Credo hac nocte Nocturninum obdormiuiſſe Ebrium.

Ille noctis diuturnitatem inſolentem

admiratur dicitque Nocturninum Ebriũ obdormiuisse, quod noctis spatia longiùs prorogarentur, quorum erat rector moderatorque Nocturninus. Huius Dei mentio fit apud D. Hieronimum in lib. Aduersus Vigilantium. *Liberè*(inquit,*proclamabis te esse aut Mercurium propter nummorum cupiditatem, aut Nocturninum iuxta Plauti Amphitrionem,quo dormiente in Alcmenæ adulterio,duas noctes Iuppiter copulauit vt magnæ fortitudinis Hercules nasceretur.* Meminit etiam huius Semonis Martianus Capella de nuptiis Philologiæ.*Accitu Veiouis*(inquit) *Dij Publici Terquino ex limite conuocantur, ex vltima regione Nocturninus Ianitoresque terestres similiter aduocati sunt.* Quod ait D. Hieronimus duas noctes Iouem coniunxisse in Alcmenæ adulterio,vt inde Alcides nasceretur,Idẽ Seneca in Agamemnone.

Nocturninus.

Duæ noctes coniunctæ in adulterio Alcmenæ vt inde Hercules nasceretur.

Sensit ortus,sensit occasus Herculem nasci,
Violentus ille nocte non vna potuit creari,
Tibi concitatus substitit mundus,
O puer magnum subiture cœlum.

Pub. Ouidius Naso Amorum 1.

Ipse Deûm genitor ne te tam sæpe videret,
Commisit noctes in sua vota duas.

Propertius.

Iuppiter Alcmenæ geminas requieuerat Arctos

Mendosus est Arnobius lib. aduers. gentes quarto. Vbi scripsit Iouem decem noctes in hoc adulterio continuasse : legendum est duas non decem. Quia hoc caput à Plauto initium habet, festiuissimum eius iocum explicabo quem nullus interpres tetigit. In Trinummo hic versus extat.

Te itidem vt Charmidatus es rursum recharmida.

Callicles cui Carmides peregrè proficiscens & filij iuuentam, & pecunias crediderat suas, cum à Lysitelle filiæ Charmidis conditio peteretur, Sycophantam trib⁹ locat nummis, qui fingat se à Charmide ferre dotem filiæ, ne concreditum thesaurum resciret Lesbonicus qui paterna abligurierat bona. Is Sycophanta cui Trinummus inditum est nomen, cùm ad Calliclis venisset ædes, concurrit Charmides, alloquitur Trinummum. Quis sit expiscatur, Se à Charmide missum Trinummus ait, inepta fabricatur mendacia. Charmides nomen occultat *Iocus Plauti explicatus.*

ſuum. At cum ſe à Charmide dotem filię accepiſſe trinummus dixiſſet, ſe Charmidem profitetur. At vt ſe recharmidet iubetur à Sicophanta, χάρμη Græcè lætitia latinè dicitur, Itaque feſtiuè Plautus alludens ad Græci nominis ſignificationem, Charmidem auri mentione interpoſita delectatum & Charmidem profeſſum, iubet ſe recharmidare, hoc eſt & conceptam lætitiam & aſſumptum nomen deponere. Sexcēta ſunt ſimilia apud Plautum. Lis eſt apud grammaticos quę ſit Regis ſignificatio in hoc Plauti verſu in Captiueis.

Regis nomen. *Nam poſtquàm meus Rex eſt potitus hoſtium.*

Ego ſoleo interpretari *Rex id eſt dominus.* Domini enim à ſeruis, Reges dicebantur, ſic captum ab hoſtibus dominum paraſitus vocat. In illo Terentij loco in Phormione,

Imo enim nemo ſatis pro merito gratiam regi refert.

Obſeruat Donatus aliàs Regem dici regnatorem, aliàs Dominum, aliàs diuitem. Hæc Regis ſignificatio ſicut Domini in ſalutationes conceſſit. Valerius

Martialis in Priſcum.

Cum te noſſem, dominum Regemque vocabam
Cum benè te noui iam mihi Priſcus eris

Ad Ollum lib.2.

Quod te nomine iam tuo ſaluto.
Quem Regem & dominum priùs vocabam
Ne me dixeris eſſe contumacem
Totis pilea ſarcinis redemi:
Reges & dominos habere debet,
Qui ſe non habet atque concupiſcit
Quod Reges dominique concupiſcunt
Seruum ſi potes Olle non habere,
Et Regem potes Olle non habere.

In Næuolum lib 4.

Sollicitus donas, dominum Regemque ſalutas
Inuitas, eſto Næuone ſollicitus.

Columella de re ruſtica 1. *An honeſtiùs* (inquit) *duxerim mercenarij ſaltatoris mendaciſſimum aucupium cirum volitantis limina potentiorum ſomnoſque Regis ſui rumoribus inaugurantis.* Sic in vulgaribus libris legitur, at ego ſcio in quibuſdam M.S. *legi mercenarij ſalutatoris mendaciſſimum aucupium*, rectè Salutatoris. Hi enim qui ſalutabantur, à ſalutatoribus Reges & domini vocabantur. Sic M. Antonius Sabellicus Regis ſignificationẽ in his Horatij locis accepit. *Columella emendatus*

Siue reges, siue inopes erimus coloni Vel.

Mancipiis locuples eget æris Cappadocum Rex.

Sic apud Iuuenalem saty. viii.

Idumeæ Syrophœnix incola portæ
Hospitis affectu dominum regemque salutat.

Et alibi.

Optima syluarum intereà pelagique vorabit
Rex horum, vacuisque thoris tantùm ipse iacebit.

Rex etiam dicebatur conuiuij dominus vnde illud, Sex enim conuiuium cum rege iustum, &c.

Desictum, speciaria dona, Notatus Lambini, Et P. Victoris error. Quid sit crucifragium. Quid Crobylos. Emendatus Cornelius Nepos & Sept. Tertullianus.

CAP. XV.

TItus Lucretius lib. de rerum natura iii. ſic ait.

Te ſequor ô Graię gentis decus, inque tuis nunc
Fixa pedum pono preſſis veſtigia ſignis &c.

Dioniſius Lambinus vir doctrinę multiplicis, ſed in variis lectionibus enarrandis aliquando vanus & futilis, & ad faſtidium vſque ſuperſtitioſus in commentariis ſuis eiuſdem loci ait in libris manuſcrip. legi ficta, ſed retinendam lectionem ficſa. Solitos enim librarios veteres ſcribere, c. & ſ. pro x. vt fiſca pro flixa. Vbi antiquarios ita ſcripſiſſe didicit? Nugæ. Retinenda librorum Manuſcriptor. lectio eſt. *ficta pro fixa.* ἀρχαισμὸς ficta, deficta, affficta priſci dixerunt. L. 7. D. de incendio ruina & naufragio, vbi legitur. *Si quando nauis vel infixa vel fracta.* Florentinæ retinuerunt *inficta.* Iac. Cuiacius v. c. doctor meus, qui tãtum à Papiniano diſtat quantùm ab Homero Virgilius ex M. Varrone, Diomede, Scauro veteres ſic locutos probat obſeruat. 7. Lubet quoque P. Victorij viri alioquin probi & eruditi intempeſtiuam emendandi cu-

Error Lãbini.

Ficta.

Victorij error.

Variar. lect. lib. xxiii.

pidinem perſtringere. In Iulij Cæſ. de Bello ciuili commentario iii. ſic legitur. *Cohortemque duplici ſtipendio frumentoue & ſpeciariis militaribuſque donis ampliſſime donauit.* Fatetur Victorius ſe ignorare quid ſint ſpeciaria dona. Itaque legendum veſte, Diariis, in veterib. enim veſpatiariis legi. Vulgarem lectionem probo & ſecundam eam dico. Speciaria dona interpretor triticum, lardum, oleum, Vinum cæteráque legumina. Quæ à I.c.tis, Caſſiodoro & reliquis auctoribus priſcis trito vocabulo ſpecies dicuntur. In re manifeſta non abutar teſtibus & otio. Videor mihi paulò fœlicius emendaſſe quod legitur in Epiſtola Alexandri ad Ariſtotelem quam Cornelius Nepos Latinam fecit, pro crucifragio, crurifragio.

Speciaria dona.

Tunc ego, inquit, *locorum demonſtratores qui nos ſemper in inſidias ducebant peſſime merito crucifragio puniri iuſſi, vt nocte vix ſpirantes à ſerpentibus conſumerentur, &c.* In omnibus ferme exemplaribus *Crucifragium* legitur, *Crurifragium* lego, quod ſupplicium priſcis familiare fuit. Plautus *lumbifragium* vocat, Apuleius lib. nono. Mil. *Crurum fragium*. Tranquillus Suetonius in

Crurifragii ſupplicium.

Cor. Nepos emendatus.

in Augusto. *Thallo à manu quod pro epistola prodita denarios quingentos accepisset crura effregit.* In Tyberio. *Atque vtrique mox quod mutuo flagitium exprobrabant crura fregisse.* Eiusmodi supplicium & patibulorum quoque, primus Constantinus imperator sustulit. Sext. Aurelius Victor de Cæsaribus. *Denique Constantinus,* inquit, *cunctos hostes honore ac fortunis manentibus texit, recepitque, eo prius vt etiam vetus veterrimumque supplicium patibulorum & cruribus suffrigendis primus remouerit.* Euellendum quoque nobis est ex Septimij Tertulliani libello de velandis virginibus mendum quod ibi radices egit. Sic legitur. *Debebunt etiam & aliqua sibi insignia defendere, aut pennas Garamantum, aut strobilos Barbarorum, aut cicadas Athenienſium, aut cirros Germanorum, aut stigmata Britonum.* Strobilos vt prędonem vel iniustum possessorem hoc loco exigamus, *Crobilos siue* κρωβύλους tanquam iustum legitimumque dominum agnoscamus. Beat. Rhenanus cui se Tertulliani caussa plurimum debere docti omnes profitentur, hæsit in luto neque rem satis expediuit. Ignosco viri manibus. Crobylos est complexio

Crurifragij supplicium à Constantino sublatum.

Tertulliani locus castigatus

crinium in vertice ac nexus qui ſic in viris dicitur (cuius vſus frequens inter barbaros) in mulieribus κόρυμβος, in pueris, σκορπίος. Heſychius. κρωβύλος ὁ ὅμαλος τῶν δὲ παίδων, ἢ ὁ κόρυμβος τῆς ἐκ πλοκῆς ἤ ἐστιν ἀνηεγμένη ἀπὸ μέσου τοῦ μετώπου. ἐπὶ τὴν κορυφὴν οὕτω δὲ καὶ ὁ ῥήτωρ Ἡγήσιππος, καὶ δίγγος ἐκαλεῖτο. κρωβύλος καὶ ὅμαλος τῶν ἀιδοιῶν.

κρωβύλος. κόρυμβος σκορπίος

Interpres Thucydidis κρωβύλος δὲ ἐστιν εἶδος πλέγματος τῶν τριχῶν ἑκατέρων εἰς ὀξὺ ἀπολῆγον ἐκαλεῖτο δὲ τῶν μὲν ἀνδρῶν κρωβύλος, τῶν δὲ γυναικῶν κόρυμβος, τῶν δὲ παίδων σκορπίος.

Cicadæ. Cicadis quas vocat, Athenienſium ſtringebantur capilli, ac in coni ſpeciem formabantur. Vide Clementem Alexandrinum Pædagogi tertio, Et meum Scaligerum in his notis quas in Cyrin ſcripſit.

Illuſtrata l. xxiiij. ff. de pœnis. Veterum obſeruatio circa bonorum principum & Tyrannorum ſtatuas.

CAP. XVI.

MOdestinus I.ctus l. xxiiij. ff. de pœnis sic ait, *horum qui relegati vel deportati sunt ex causa maiestatis, statuas detrahendas scire debemus*. Veteres siue Græci siue Romani mirum est qua veneratione, quoue odio prosecuti sunt siue optimorum principum, siue Tyrannorum statuas. Eorum omnium qui ex causa maiestatis damnabantur, memoria penitùs extinguebatur vel nomen æternis maculis inurebatur. Extãt hac de re multæ leges in Codice Theodosiano, quibus Stiliconis, Rufini, Eutropij & aliorum nomina damnantur. At non modo Tyrannorum siue maiestatis damnatorum Statuæ & imagines detrahebantur, verumetiam luto & vrina inquinabantur, affligebantur solo, eradebantur tituli. Iuuenalis

Cuius ad effigiem non tantum meiere fas est.

Sic Nero apud Suetonium ignonimiæ causa statuam Deę Syrię vrina aspergi iubet. Idem Suetonius in Domitiano. *Contra Senatus adeò lætatus est, vt repleta certatim curia non temperaret quin mortuum contume-*

liosissimo atq; accerbissimo acclamationũ genera laceraret, scalas etiã inferri clypeosque & imagines eius coràm detrahi, & ibidem solo affligi iuberet, nouissime eradendos vbique titulos & abolendam omnem memoriam decerneret. Subijciam C. Plinij verba quæ in eius Panegyrico ad Traianum extant, quibus populi sæuitiam in Domitiani vt arbitror imagines, quasi ponere ob oculos & repræsentare videtur. *Iuuabat illidere solo superbissimos vultus, instare ferro, sæuire securibus, vt si singulos ictus sanguis dolorque sequeretur: Nemo tã tẽperans gaudij seræque lætitiæ fuit, quin instar vltionis videretur cernere laceros artus, truncata membra, postremo truces horrendasque imagines abiectas excoctasque flammis, vt ex illo terrore & minis in vsum hominum & voluptates ignibus mutarentur* Inter acclamationes Senatus in Cõmodum istud legitur apud Ælium Lampridium *Gladiatoris & parricidæ statuæ detrahantur.* Deinde. *Qua pontifex dico hoc collegium Pontificum dicit, quoniam læta percensui nunc conuertar ad necessaria, censeoque quod is qui non nisi ad perniciem ciuium & ad dedecus suum vixit, ob honorem suũ decerni coegit: abolendas statuas quæ vndique erunt, nomen-*

Statuas solo affligere, eradere titulos.

que ex omnibus priuatis publicisque monumentis eradendum. Ex varijs Iulii Capitolini locis in Gordianis, hunc solum addam *Iuuenes qui auctores huius facinoris erant, statuas Maximini deiecerunt, imagines perfregerunt nomen publicitus erraserunt.* Aliquos etiam didici capitali suplicio damnatos quod Tyranni imaginem in anulo gestassent. Ambrosius lib. Off. I. Cap. XLIX. *Si Tyranni aliquis imaginem habeat, nonne obnoxius est damnationi. Memini me legisse quosdam capitali supplicio dãnatos quod Bruti & Cassii interfectorum Cæsaris imagines asseruarent.* Hinc paret quam infestę priscis essent Tyrannorum statuæ, quam inuisa nominis memoria. Nunc videamus quæ esset illorum cura circa bonorum principum & illustrium virorum imagines. Quando imperiales erigentur statuæ, aderant iudices & diuino cultu eadem symulachra prosequebantur.

Capitale ferre in anulo damnati imaginem.

Theodosius Christianæ legis amantissimus Imperator id ea lege sustulit primus.

Lex Theodosii Imp.

Si quando nostræ statuæ vel imagines eriguntur, seu diebus vt assolet festis, siue communibus,

adsit Iudex sine adorationis ambitioso fastigio, vt ornamentum diei vel loco & nostræ recordationi sui probet accessisse præsentiam. Ludis quoque simulachra proposita tantum in animis concurrentium mentisque secretis nostrum numen & laudes vigere demonstrent. Excedens cultura hominum dignitatem supremo numini reseruetur. Dat. iij. non. Mai. Theod. à xi. & Valentin. Cæs. Conss.

Quo modo supplicaretur statuis principũ. Ante hanc legem omnes cuiuslibet conditionis homines statuis vino & Thure supplicare cogebantur. Quod cum auersarentur & abhorrerent Christiani, variis stragibus multati sunt. Plinius ad Trajanum. *Qui negarent se esse Christianos aut fuisse quum præeunte me deos appellarent & imagini tuæ quam propter hoc iusseram cum symulachris numinum afferri, thure ac vino supplicarent.* Quid sit vero in hac Theodosij lege adorationis ambitiosum fastigium, siue vt in Iustiniani codice legitur, fastidium nullus vt opinor adhuc palam fecit, haud

Adorationis ambitiosum fastigium istud tantùm intelligendum est de sacrificiis, quę vel vino vel thure ante has fieri moris erat imagines. Adorare est capite velato se circumuertere, deinde procũbere, quod ante deorum symulachra

eri religionis erat. Tranq. Suetonius in Vitellio. *Idem miri*, inquit, *in adulando ingenij, primus Caium Cæsarem adorari ut deum instituit, cum reuersus ex Syria nõ aliter adiire ausus esset, quam capite velato circumuertens se deinde procumbens.*

Titus Lucretius lib. v.

Nec pietas vlla est velatum sæpe videri
Vertier ad lapidem, atque omnes accedere ad aras
Nec procumbere humi prostratum, & pandere palmas.
Ante deûm delubra.

Ergo ante Theodosium adorare statuas mos erat. Erant quoque rei maiestatis, qui temeraria & inconsulta ratione imperatoriis illuderent imaginibus. Quæ capital esset facere circa Augusti symulacra ex iis Suetonij verbis didici quę sunt in Tyberio, *statuæ quidem Augusti caput dem pserat, ut alterius imponeret. Acta res in Senatu, & quia ambigebatur per tormenta quæsita est. Damnato reo paulatim hoc genus calumniæ eò processit, ut hæc quoque capitalia essent. Circa Augusti symulacrum seruum cecidisse, uestem mutasse, nummo vel anulo effigiem impressam Latrinæ aut lupanari intulisse dictum*

Quæ esset capitalia circa Augusti & aliorum principũ statuas.

vllumue factum eius existimatione aliqua læsisse. Philostratus de vita Apollonij Tyanei lib. 1. de Tyberij imp. statuis quæ in Aspendó Pamphyliæ ciuitate erant sic loquitur : Dabo latina verba, quia Græcus codex adhuc non incidit in manus meas. *Erat autem Asylum Tyberii, statuæque sanctiores venerabilioresque quam Iouis Olympii simulachrum habebãtur, ita vt impietatis damnatus aliquis fuerit, quod seruum suum verberasset qui drachmam argenteam Tyberij imagine signatam gestabat.* Hinc paret verum esse quod alibi ex meo Cuiacio dixi imaginem imperatoris tuitionis causa prælatã fuisse. Apud Dionem Nicæum legi D. Claudium iussisse Augusti statuam quæ staret in loco, vbi damnati supplicium luerent, aliò transferri, ne vel semper cædes inspiceret, vel velata esset. Serui dominorum bilem & sæuitiam fugientes, liberi euitándi periculi gratia se imperialium imaginum tuebantur presidio. Prætermitto signa bellica, in quibus imago Imperatoris formata erat, adorari & vngi solita. Prætermitto quod ea de re variis in locis Cor. Tacitus scripsit. Ad dam tantum inconsulto principe nefas

Plinius lib. xiij. cap. 3.

fuiſſe eius ſtatuam erigere. Plinius in epiſtolis ad Traianum l. Si quando C. de operib. pub. Statuarum omnium cura penes comitem Romanum erat. Caſſiodorus in formula Comit. Rom. de honore imaginum, multa Plinius lib. xxxv. Cap. II.

Statuarũ cura penes Comitem Romanũ.

Tentata correctio cuiuſdam loci in Poſthumi Iunioris ſiue Quintiliani declamatione xv. Quid ſint Gorgoniæ, Quid amentiæ. Sex. Victor emendatus.

CAP. XVII.

EXtant poſt Quintiliani oratorias inſtitutiones declamationes quędam, quas illi vulgus addixit, Si liceat illas vendicare, quouis pignore contendo cuiuſuis alterius eſſe. Si ſpectes locutionem ſi pondus ſententiarum, nec dignę ſunt, quæ Quintiliano, nec tam inelegantes vt ſcriptori plebeio aſcribi debeant. Trebellius Pollio refert Poſthumiũ Iuniorẽ illas declamationes ſcripſiſſe, quæ ſuis tẽporibus Quintiliano

inſcribātur, ex hoc coniicio eum harum auctorem eſſe. Sed accepi quoſdam M.S. præferre titulum Marci Flori, itaque nihil ſtatuam, ampliandum cenſeo, adhuc enim non liquet. Sic ipſe loquitur in xv. decl. *Hinc ergo iam meretricibus, Quod illas etiam pauperes ament, quod facile contingant, Quod laboribus exorentur adeuntium facies. Hinc amator vt diuites ament.* Quis Oedippus hunc locum caperet? Adfero tantùm leuem coniecturam, & quod de Marcione Tertullianus ait machœra, non ſtylo vtor: Sic ergo excuſſis litterarū veſtigiis olfeci legendum eſſe. *Hinc Gorgonia meretricibus, vt illæ etiam pauperes ament, vt faciles contingant, vt laboribus exorentur adeuntium facies: Hinc amatorium vt illas diuites ament.* Vel fortè quo illæ, &c Gorgonias φίλτρον mihi eſſe perſuaſi, huius rei auctorem nullum habeo, dicam tamen quod in mentem venit. Gorgonias dictas puto potiones illas amatorias quibus exhauſtis in amicarum conſpectu quidam quaſi lapideſcunt, Et quaſi tangendi fulmine attoniti ſtupeſcunt. Sic legimus in fabulis veterum qui Gorgónes vidiſſent in ſcopulos & ſilices conuertier. Vocabu

Gorgonia

lum istud intra ætatem meam tetigit adhuc nullus quem legerim. Illud ego primum vidi in Sext. Aurelij victoris commentariis. Sic ille in Iuliano. *Sed ex coniugibus quasplurimas sortitus est, Eusebiam præcipue dilexit decoram quidem verum per amantias & Gorgonias vexantem famam, &c.* Non me latet apud Græcos τὸ γοργονειόν laruam esse, & apud Plinium Gorgoniam coralium esse sic dictam quod in duritiam lapidis mutetur, quam fulminibus & Typhoni resistere Plinius ait. Apud Victorem legendum amentias non adamentias vt M.S. quibus vsi sunt viri doctiss. And Schottus & Elias vinetus. Chrisippus in cœnis Athenei variis de causis, homines insanire dixit vnde ob cothurnices ὀρτυγομανία, ob mulieres γυναικομανία, ob vinum οἰνομανής, ob obsonia ὀψομανής, Itaque Victorem γυναικομανίαν intelligere quis non videt? Amatorium quoque restitituimus vt id scilicet Posthumius siue Florus loquatur, meretricibus videlicet Gorgonias parari debere vt pauperes ament, quoniam hæ corpore quæstum faciunt nec exercent infructuosas libidines, has vero amato-

γοργονειόν. Gorgonia. Sext. Victor correctus. Amentia

riu diuitibus porrigere vel eos æque ad amorem eliciant atque eorum bona obſcœnis voluptatibus exhauriant. Status huius declamationis verſatur circa potionem amatoriam. Hîc forſitan cùm ratione fallor.

Homeri tempore quo pacto in tenebris lumen fieret. De ſignificatione per fumum in bello. De Menſura Nili.

CAP. XV. III.

SOlent auctores noſtri eius rei nullum fuiſſe vſum, vel Iliacis, vel Homeri temporibus hoc argumento confirmare, quod eius apud Homerum nulla mentio nec veſtigium vllum extet. Quaſi nihil prætermiſerit Homerus & tempus illud pleniſſimè poſteritati tradiderit inſpiciendum. Plinius dicit Troiano ſeculo nullũ anuli vſũ extitiſſe, Ioſephus adhuc nullas leges, latas quoniã anuli neque meminit Homerus, neque legis nomen id eſt νόμος in eius legitur monumentis. Malo ego ex his quæ prætermiſit euidenter, argumentari. Ad tenebras igitur noctis illu-

Anuli nullus vſus, nec leges tempore Homeri adhuc lata.

ſtrandas, neque oleo, neque cera neque cœno vſos veteres fuiſſe Græcos, ſed ligno arido & ſicco quo etiam Aruerniæ noſtræ pars quędam hodie vtitur, ex his verſibus mihi perſuadeo.

Mos veterum in diſcutiendis noctis tenebris.

τοῖσι δὲ τερπομένοισι, μέλας ἐπὶ ἕσπερος ἦλθεν.
αὐτίκα λαμπτῆρας, τρεῖς ἵστασαν, ἐν μεγάροισιν
ὄφρα φαείνοιεν, ἐπὶ δὲ, ξύλα κάγκανα θῆκαν
Αὖα πάλαι; περίκηλα νέον κεκεασμένα χαλκῷ
καὶ δαΐδας μετέμισγον, &c.

Ergo vt lumen facerent ligna ſicca & ad ignem facillimè conflagrantia per noctem ſolebant accendere, ignique fouendo ſeruulus dabat operam. Hanc itaque prouinciam ſibi depoſcit Vlyſſes, quem hoc miniſterio fungentem & in omnes procos oculos contorquentem facit Homerus. In regijs domibus hæc fiebant. Nunc quod noctis diſcutiendæ genus latet ambitionē hominum vel luxuriam? Conſumendæ faces quo dulciorem exhalent fumum, variis commiſcentur odoribus & quod priſcis inauditum fuit infumo ſpargi cœpere venena. At quod illud fumi ſignum, cuius mentio fit apud Iulium Cæſarem commentario de bello ciuili tertio.

Fumi ſignum.

Neque multò poſt Cæſar (inquit) *ſignifica-*

tioneper castella fumo facta, vt erat superioris temporis consuetudo deductis quibusdam presidijs eò venit. Illud signum dabatur, cum hostes incursiones facerent. Oppius. *Nam etiam illud vulgare incursionis hostium signum, quod incendijs ædificiorum intelligi consueuit Cæsaris interdicto sublatum ne aut copia fabrili frumentoque si longiùs progredi, &c.* Luc. Apuleius in lib. de mundo. *Ex eo numero erant & Diurni cursores atque nocturni exploratores & per vices incensæ faces ex omnibus regni sublimibus locis in vno die imperatori significabant Quod scito erat opus.* D. Augustinus lib. iii. de ciuitate Dei cap. xii ad id videtur alludere, cùm ait Roma no grãdi suo fumo, velut signo dato multos deos congregasse. Eius hæc sunt verba. *Nimis enim multos deos grandi fumo suo, tãquam signo dato ad tuitionem congregauerat.* Flauius Vegetius lib. 3. cap. v. cùm copiæ diuisę sunt per noctem flammis per diem fumo significari ait, hæcque signorum militarium tria constituit genera, vocalia scilicet, Semiuocalia, muta: Vocalia vt Deus, victoria, palma virtus, Deus nobiscum Triumphus imp. &c. Semiuocalia, quę per tubam, cornu, buccinã dãtur:

Tria signorũ genera

Muta, Aquilæ, Dracones & Rufæ, vexilla, flammulæ, pinnę, mota vestis, ignis, fumus, trabes appensæ turribus, Nę ego sum magnus cōgerro, à fumo ad Nilum à Romanis ad Ægyptios trāsitum facio, & ea leuitate qua mathematici cœlestes orbes percurrunt, & veluti vniuerso orbi inequitant, sic ego in omnes litterarum oras feror. Quid ergo de Nilo? Nilus verè rex totius orbis fluuiorum est, & qui dixit eum arari, coli, nauigari verissimè dixit. Multi multa de ipso. Ego inueni fertilitatem & fœcūditatem anni ex eius altitudine priscos cognouisse, & mensuram solitos in templa deferre, Quę mensura tempore Constantini in Ecclesias cœpta est deferri. Cassiodorus ex Socrate in historia tripartita

Nili mensura in Ecclesias delata.

Ab illo denique tempore, inquit, *apud Ægyptios nequaquam secundum priores solennitates in paganorum templa cubitus, sed in Ecclesias magis offertur quo significatur augmentum aquæ Niliacæ.* Ruffinus presbyter in Appendicis lib. 2. ad Eusebij libros de historia Ecclesiastica sic ait. *Quoniam moris erat in Aegypto vt mensura ascendentis Nili fluminis ad templum Serapis deferretur velut ad in-*

crementi aquarum & inundationis auctorem subuerso eius symulacro ignique consumpto omnes simul negabant Serapin iniuriæ memorem, aquas vltra affluētiam solitam largiturum. Sed vt ostenderet Deus nō Serapin qui multò erat. Nilo posterior, sed se esse qui aquas fluminis suis temporibus iuberet excrescere. Tanta ex eo & deinceps fuit inundatio, quāta fuisse prius nulla ætas meminerat, & ideo vlna ipsa id est aquæ mensura quam Pœchim *vocant, ad aquarum dominum in Ecclesiam coepta deferri.*

Idem Cassiodorus cap. xviij. lib. 2. ait eundem imperatorem remouisse monomachias, & suas imagines in templis poni precepisse, & cubitum quo mensuratur Nilus, non in templum Serapidis annis singulis, sed in Ecclesias portari sanxisse. Plinius de eodem Nilo Cap. xviij. lib. xviij. *Si duodecim* (inquit) *cubitos non excesserit, fames certa est, nec minus si sexdecim exuperauerit.* Hic ego consisto.

Aurei Iouis oculi, vestem excœcare, statarium prādium, militares cibi, capita, Sidonius Apollinaris castigatus. Ad responsum, latrunculatores, ϐιοκόλυται, ἀφόπλιςαι, *Rhetiarum Dux.* CAP. XIX.

Vt

VT solent institores, cum merces exponunt suas pretiosis carisq; rebus friuolas, viles minutasque resculas admiscere, quarũ emptione nonnulli capiuntur ardentiùs: Sic ego in his studiorum meorum rationibus dum quicquid abditę eruditionis penes me est, expono & cuilibet copiam facio, seriis laboribus & disputationibus has interdũ eruditionis gerras & quisquilias interpono. Pictores, statuarij & plastę cum Ioue exprimerẽt antiquitùs aureos Iouis oculos faciebant. Cæcilius Balbus in Polycratico Ioan. Salesberiẽsis sic ait. *Quis enim deorum ei parcat à quo se deceptum intelligit? Quis non irruat in eum qui aureos Iouis oculos eruit aut argento gemmisque sublatis vestem nititur excœcare? Quis de Martis capite adamantinum lumen impunè temerariis effodit vnguibus?* Ex eodẽ loco Martis adamantinos oculos fuisse, coniicio. Præterea notandum quod ait vestem excœcare. Argentũ, gemmæ, pretiosi lapilli vestimenta velut quibusdã luminibus & oculis illustrant: Itaque qui ex veste gemmas & radiãtes Smaragdos aufert, hanc quasi excœcare videtur. Porrò à quibusdam

Aurei Iouis oculi & Martis adamantini.

vestem excœcare.

non satis intelligi video quid sit apud Mamertinum in Paneg. Iuliano dicto *Statarium prandium & castrenses cibi.* Statarium prandium est, quod milites stantes non decumbentes more veterum sumerent. Ammianus Marcellinus de eod. Iuliano. *per varios autem procinctus, stans interdum more militiæ cibum breuem vilemque sumere visebatur.* Liuius lib. xxxv. *Citatosque singulos iureiurando adegit, nisi quibus morbus causa erit, non aliter quam stantes cibum potumque, quoad stipendia facerent capturos esse.* Marcus Florus siue Posthumius Iunior decl. III. *Cum alij excubent armati alij claustra portarum tueantur, alii vallum fossasque scutis innixi cingant, cibum ipsum stantes capiant, Tribunus inter scorta volutabitur.* Frequens mentio apud Ammianum Marcellinum de statariis pugnis, ego aliquando mediocres interpretabar vt Ennius statariam, mediocrem formam. Malo statarias pugnas intelligi à quibus equitatus abesset: sic enim acies stataria accipitur. Vide Turnebum quid sint *statariæ Comediæ*, Quid *statarii actores*. Cibi vero castrenses sunt laridum, caseus posca. Ælius Spartianus in Hadriano. *Cibis* (inquit)

Statariū prandiū.

Statariæ pugnæ.

etiam castrensibus in propatulo libenter vtens hoc est larido, caseo, posca exemplo Scipionis Aemiliani & adoptatoris sui Traiani. Sic enim lego non auctoris, forte hæc verba ex glossa in textum irrepsere vt pleraque alia. Addo ex I.C torum libris salgama & buccellatum. Preterea in iure nostro dubitari audio quid sint capita veluti cum iubetur vt comes Phrigiæ Pacatianæ vtriusque magistratus annonas & capita habeat. Capita soleo interpretari pabula iumentorum. Sic enim Ammianus Marcell. lib xxij. *Interrogatus tamen ille quid haberet ex arte compendij, vicenas diurnas respondit annonas, totidemque pabula iumentorum, (Quæ vulgo dictitant capita) & annuum stipendium graue &c.* Itaque Sidonius Apollinaris cúm tria capita fisco deberet, horum remedium postulat ab Imperatore Maioriano per Epigramma car. xiij.

Cibi castrenses.

Capita.

Lestrygones nos esse puta mönstrumque tributum.
Hic capita vt viuam tu mihi tolle tria.

Quod illud lectionis monstrum? legendum est *Geryones nos esse puta*, rectè il-

lud ad tria capita refertur vt ſcilicet Maiorianus opus Herculeum defungatur. Lęſtrigones ad Lęſtrigones deportamus. Hoc monſtro Sidonium popularem noſtrum liberauimus. Longe diuerſa interpretatione accipiuntur ζυγοκέφαλα in Iuſtiniani imp. nouella conſtitutione xvij. Per ea enim intelligo quicquid vno die iuncti boues exarare poſsũt: quod Latini iugerum vt ait Varro dixerunt. Iulianus harum conſtitutionum elegantiſſimus interpres *iugerum* reddidit quamuis alias *iugorum* legatur. Apud Iuſtinianum & Iulianum quod officij genus ſit. *Ad reſponſum* primo ore non patet. Illud à vetere Iuliani Scholiaſte ſic explicatur. *Ad reſponſum dicitur qui deputatus eſt à magiſtro militum vt quid opus ſit à competente iudice in milites fieri ad reſponſum (i) eſt miniſterium ei exibeat & ſolet deputari iſte à magiſtro militum eo ſub quo illa prouincia eſt.* Porro latrunculatores ſunt qui latrones & graſſatores proſequuntur, βιοκολῦται qui violentias prohibent, Aphopliſtæ qui priuatis hominibus arma habere non concedunt. Iul. Conſt. xv. Dux Rhetiarum

Iugerum

Ad reſponſum.

Latrunculatores.

Aphopliſta.

in formulis Cassiodori est, cuius munimina Italiæ & claustra prouinciarum demandata sunt. *Rhetiæ enim sunt munimina Italiæ & claustra prouinciæ.* *Dux Rhetiarum.*

Dies albo vellere conditus: Virginum Deo dicatarum pulla vestis, coniuncta fila, nubentes oliua coronati, dextras iungere, additum auctoris salacissimum carmen.

CAP. XX.

LECTOR faueto lingua, hoc capite bona verba dicturi sumus. Sermo erit de re Nuptiali, nullus aptior & commodior institui potest. Iam enim mihi sunt signatæ tabulæ, dictum est fœliciter, & mihi libellus Venerius datus est. Antiqui existimabant Parcas, nuptiarum dies albo vellere condere. Papinius Statius primo Syluar.

Ergo dies aderat Parcarum conditus albo
Vellere, quo stellæ violantilla que professus
Clamaretur Hymen.

Dies conditus albo vellere.

Sidonius Apolinaris in Epithalamio Polemij & Araneolæ.

Prosper connubio dies coruscat,
Quem Clotho niueis benigna pensis,
Albus quem picei lapillus Indi
Quem pacis simul arbor & iuuentæ
Aeternumque virens oliua signat.

Albæ togæ.

Ex hoc conijcio veteres hanc dicendi formulam vsurpasse de his diebus, qui lętitiæ & oblectationis essent pleni. Togas albas in lætitia publica, vt ex Romanorum libris didici, Senatores sumebant & in his epulabantur. Idcirco ab eodem Statio Atropos dicitur alba. Syl. 4.

Atropos alba.

His senium longæque decus virtutis & alba
Atropos & patrius lauro promisit Apollo.

Furtiuarum vestiū puella.

Hinc ego puto virgines quæ olim castitatem profiterentur, nigras vestes sumpsisse, & ideo à D. Hieronimo furuarum vestium puella dicitur, de vitando suspecto matrimonio. *Sin autem sola ieris* (in-

quit) *quod & magis existimo vtique inter seruos adolescentes, inter maritatas fœminas atque nupturas, inter lasciuas puellas & comatos calamistratosque iuuenes furuarum vestium puella gradieris.* Idem paulò post. *Vestis ipsa vilis & pulla animi tacentis inditium, &c.* Poetæ quoque eorum fila siue stamina fatales sorores coniungere solitas esse dicebant, qui connubio iungerentur Sidonius in fine huius Epith. *Nubentium stamina coniuncta.*

Probat Atropos omen

Fuluaque concordes iunxerunt fila sorores.

Nec frustrà oliuæ facit mentionem. Oliua enim coronabantur nubentes. Arbor illa pacis & iuuentę signum est. Hinc illud ipsius.

Tum diua comas viridantis oliuæ

Pace ligat, nectit dextras ac fœdera mandat.

Solebant preterea dextræ iungi quod erat signum concordiæ. Patruus etiam vel qui sanguine propior erat iungebat & sponsorum manus tenebat. Trebellius Pollio in Galieno. *Nam cùm fratrum suorum filios iungeret omnes Poetæ Græci Latinique Epithalamia dixissent, id per dies plurimos cum ille manus sponsorum teneret vt quidam dicunt septas ita dixisse fertur.* Illa Carmina

Oliua coronati nubentes.

Patrui siue proximiores agnati manus sponsorum tenebant.

quę Gallienus dixit desiderabantur. Sed ea cum Petroni fragmentis restituit, flos amicorum meorum & elegantissimi vir ingenii CL. Binetus Bellouacus. Quoniam sermo est de his rebus quas nubentes optant, hoc loco faciam locum his versibus, quos aduersus carmen illud Apulei condidi, quod meus ille Binetus luci reddidit, quosque tibi (Iac. Cortini altera mei pars) sacros feci. Sic Apuleius.

Amare liceat si potiri non licet,
Fruantur alij: non moror non sum inuidus,
Nam sese excruciat qui beatis inuidet.
Quos Venus amauit facit amoris compotes
Nobis Cupido velle dat, posse abnegat.
Olij purpurea delibantes oscula
Clemente morsu rosea labella vellicent
Malas odorent ore & ingenuas genas,
Et pupularum nitidas geminas gemmulas,
Quin & cum tenera membra molli lectulo.
Cum pectora vna adhærent Veneris glutino
Libido cum lasciuia instincto suscitet,
Sinuent ad Veneris cursum fœmina, fœminæ
Inter gannitus & subantis voculas,

Lego libido cum lasciua ignem intus excit.

Carpant papillas atque complexus intiment,
Arentque sulcos molles aruo Venerio
Thyrsumque pangant hortulo in Cupidinis
Dum crebros ictus conniuente lumine
Trepidante cursu Venere & anima fessula
Eiaculent tepidum rorem niueis laticibus
Hæc illi faciant queis Venus non inuidet
At nobis casso saltem delectamine,
Amare liceat si potiri non licet.
Sic nos contrà.

Nefas amare, si potiri non licet.
Quid solus est amor, nisi votum impotẽs,
Nolens voluntas, ardor expers ignium,
Eiusque pœna cui negatum iam frui?
Qui amat fruatur, hoc Venus, hoc vult
Amor.
Cupido posse cui negat, velle abnegat.
Res illa amore constat & potentia:
Et velle crux est, nî simul vires sient,
Et posse crux est, nî voluntas vrgueat.
Olli ergô amẽt qui in lectulo cũ virgine
Mollicubantes, membra teneris implicant
Nodis calentia, & procaci palmula

In hoc omine desino. Tu mihi forsitam bonam mentem optabis, (Lector) Ex cuius ore fluxit tàm lasciuum poema. Sed volo te scire (quod de se Plinius, Catullus, Ausonius) mihi lasciuam esse paginam, vitam probam: Reliquos libros expecta, cùm aliquis Deus mihi otia fecerit.

FINIS.



INDEX CAPITVM LIBRI PRIMI.

INDEX CAP. LIB. II.

CAP. I.

FINIS INDICIS

IAC. DVRANTIVS CASELLIVS LECTORI.

MVlta prætermitto (Lector) quæ aciem meam, & illam styli mei partem effugerunt, quæ delet. Vna litura forsitam opus erat, qua ille liber penitùs induceretur, at id fata noluerunt. Interim volo te scire menda etiam nonnulla extare in quibusdam libris, quibus dùm sub prælo essent, adesse non potui, ea tu noscas simul & ignoscas velim. Habes duos Variarum mearum commentarios, in quibus tentaui, vt in antiquis rebus explicandis nihil nisi nouum & recens afferrem, vtrùm id assecutus sim, erit tui iudicij, mei planè fuit & animi & voti. Erunt fortè nonnulla quæ tu alibi vel notata vel explicata inuenies, quid enim non inuenies? cum eosdem auctores præ manibus habeamus, nec fieri possit vt qui in eorun-

dem auctorum lectione versantur, sicut qui eandem insistunt viam, ingenio simul & iudicio non concurrant? Alieni ego laboris gloriam optaui nunquam, nec ita diffidenti animo fui, vt mihi riuulum quæsierim, qui me ad mare, vel digitum, qui me ad ipsum fontem perduceret. Quicquid scripsi, ex ipso mari, ex ipso purissimo ingenuoque gurgite hausi, exscripsi. Hoc volebam nescius ne esses. Plura dicturus eram. Sed siue doctus, siue indoctus sis, plura quàm oportebat dixi. Vale & nobis faue.

IAC. DVRANTIVS CASELLIVS LECTORI.

Multa prætermitto (Lector) quæ aciem meam, & illam styli mei partem effugerunt, quæ delet. Vna litura forsitam opus erat, qua ille liber penitùs induceretur, at id fata noluerunt. Interim volo te scire menda etiam nonnulla extare in quibusdam libris, quibus dùm sub prælo essent, adesse non potui, ea tu noscas simul & ignoscas velim. Habes duos Variarum mearum commentarios, in quibus tentaui, vt in antiquis rebus explicandis nihil nisi nouum & recens afferrem, vtrùm id assecutus sim, erit tui iudicij, mei planè fuit & animi & voti. Erunt fortè nonnulla quæ tu alibi vel notata vel explicata inuenies, quid enim non inuenies? cum eosdem auctores præ manibus habeamus, nec fieri possit vt qui in eorun-

dem auctorum lectione versantur, sicut qui eandem insistunt viam, ingenio simul & iudicio non concurrant? Alieni ego laboris gloriam optaui nunquam, nec ita diffidenti animo fui, vt mihi riuulum quæsierim, qui me ad mare, vel digitum, qui me ad ipsum fontem perduceret. Quicquid scripsi, ex ipso mari, ex ipso purissimo ingenuoque gurgite hausi, exscripsi. Hoc volebam nescius ne esses. Plura dicturus eram. Sed siue doctus, siue indoctus sis, plura quàm oportebat dixi. Vale & nobis faue.

MENDA.

Fol. 4. pag. 2. vox Gallis abundat, expungenda est. fol. 7. delitiarum & c. Et in locum illic prodigiosius, reponendum illic prodigiosius fol. 8. Ad Eustochium non ad Eusta. B*assa non Massa fol. 12. supplicio, non suplicio fol. 20. fidelius fol. 21. Antiquo non Cautiquo fol. 26. declarari non declararique fol. 31. pag. sortiantur non sortiatur fol. 34. euecti, non euceti fol. 35. huiusmodi, non huiusmodique fol. 50. pag. 2. digessi, non degessi fol. 51. pag. 2. Leucadu saltum, non Leucatem, quamuis etiam vtroque modo dici possit fol. 53. pag. 2. Ex quibus qui, non si, fol. 54. cum iniÿrent duellum, non iniÿret &c. fol. 60.* Antiquus *non* Antiquitus *fol. 62. parentet, non parentis. fol. 63. pag. 2. iniecere, non inijcere, fol. 70. iure consultum, non factum prima linea fol. 78. in adit. Erucas non Trucas fol. 87. lin. 23. mendicissimum, non mendacissimum. Sic enim in M. S.*

EXTRAIT DV PRIVILEGE DV ROY.

PAR *grace & priuilege du Roy est permis à Thomas Perier marchant Libraire à Paris d'imprimer ou faire imprimer vendre & debiter vn liure intitulé* Iacobi Durantii Casellii I.C. Variarum libri duo. *Et faict defences ledict seigneur à tous libraires ou Imprimeurs de quelque estat & qualité ou condition qu'ils soient d'imprimer ou faire imprimer & vendre ou debiter aucuns desdits liures sinon de l'impression dudit Perier & de son consentement durant le terme de neuf ans, à compter du iour que le present liure sera premierement acheué d'imprimer, & ce sur peine de confiscation desdits liures & d'amende arbitraire comme plus à plein est contenu au priuilege. Donné à Paris ce dixneufiesme iour de Iuin en l'an de grace mil cinq cens quatre vingt & deux, & de nostre regne le neufiesme.*

De par le Roy en son Conseil.

RAFFIN.

MENDA.

Fol.4.pag.2. vox Gallis abundat, expungenda est. fol. 7.delitiarum & c. Et in locum illic prodigiosus, reponendum illic prodigiosius fol.8. Ad Eustochium non ad Eusta.Bassa *non Massa fol.12. supplicio, non suplicio fol.20. fidelius fol.21. Antiquo non Cautiquo fol. 26. declarari non declararique fol.31. pag. sortiantur non sortiatur fol.34. euecti, non euceti fol.35. huiusmodi, non huiusmodique fol. 50. pag. 2. digessi, non degessi fol.51. pag.2. Leucadu saltum, non Leucatem, quamuis etiam vtroque modo dici possit fol.53. pag.2. Ex quibus qui, non si, fol.54. cum iniјrent duellum, non iniјret &c. fol.60.* Antiquus *non* Antiquitus *fol.62. parentet, non parentis. fol.63. pag.2. iniecere, non inijcere, fol.70. iure consultum, non factum prima linea fol.78. in adit. Erucas non Trucas fol.87. lin.23. mendicissimum, non mendacissimum. Sic enim in M.S.*